BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
D
29
NAPOLI

Digitized by Google

AMATI DANIO

Sacri Regij Senatus Regni Neapolis, nuncupati Sanctæ Claræ, ſiuè Capuanæ

CONSILIARII

DISSERTATIO

De Iure ſuccedendi Sereniſsimo Regi Catholico

CAROLO II.

IN HISPANAM MONARCHIAM.

NEAPOLI, Anno M.DCCII.

De Iure Succeſſionis S. R. C. M.
PHILIPPI V.
In Regna, & Dominia Monarchiæ Hiſpanæ.

IVris, & æqui ſcientia, quam ſiue naturæ, ſiue gentium, aut cuiuſq; populi, & Ciuitatis inſtitutis, & moribus ſcriptis, & non ſcriptis, prudẽtes omni ſtudio, & induſtria inueſtigare, ac colligere, Principeſq; ſtatuere, atque tradere cõſultorum adhibito conſilio conati ſunt. Verendum eſt, ne hominum opinione magis, quam iuſtitia, & veritate nitatur. Atque vt quemadmodum apud Platonem Traſimachus ait: *ius nihil aliud ſit, niſi quod potentiori vtile eſt*; præſertim cum vt ipſe legum conditor, & collector Imperator Iuſtinianus ſcribit (a) *nihil inter homines ita ſit indubitatum, vt non poſſit (licet aliquid ſit valde iuſtiſſimum) tamen ſuſcipere quandam ſolicitam dubitationem*: Quippè homines plerumque ſibi blandientes, quod commodum, & vtile ipſis videtur libẽter proſequuntur, ac æquum, & iuſtum eſſe quæſitis coloribus etiam alijs ſuadere conantur. Quod vtique ad præſens ſatis perſpicuum, manife-

(a) *in auth. de tabellion.*

ſtumque redditur, ex magna controuerſia nomine Ceſareæ Maieſtatis de ſucceſſione in Regis Hiſpaniarum Regna, & dominia mota, quam leuibus argumentis, & inaniter quæſitis ratiunculis nullo equidem iure: ſed vi, & violentia, armis, atque atrociſſimo bello, quo vniuerſa fere Europa commota eſt, & quod Deus auertat, peſſum iri formidandum videtur, proſequendam ſumpſit.

Idque non ipſi Imperatori, cuius magna æquitas, ſummaq; pietas, ac religio conſpicua omnibus, & magnopere nota eſt, ſed corrupto conſilio, & impijs fœderatis tribui debet, qui iuſtos ſuos Reges, vel truci neci tradere, vel expellere, ac eorum æquum, rectumque dominium excutere ſueti: nihili putant ipſi veræ religionis, ſuorumque Regum hoſtes, & rebelles iniuſti belli, impulſores eſſe, & malæ, ac iniuſtæ cauſæ opem, & ſuppetias ferre. Et quamuis notum habeamus, & bellum iam cæptum ſatis oſtendat, non verbis controuerſias Regnorum dirimi, ſed armis agēdas, perſequendaſque, & vt ſcribit *Dion. lib. 64. in Nerone. Sed nullum ius profectò plus poteſt, quam arma, vt enim quiſque potentiſſimus eſt, ita iuſtiſſimè dicere omnia, & facere videtur.* Tamen quia noſtras in manus venit quidam libellus Gallicè ſcriptus, cui titulus *Mercure Hiſtorique, & Politique Mois de Septembre* 1701. in quo inſeritur. Extrait *du manifeſte de l'Empereur au l'on fait voir les droits dela Maiſon d'Autriche ſur la Monarchie d'Eſpagne*, perinde quaſi ex fictis his iuribus probare velint iu-

iuſtitiam belli, quod agitur, & quod non niſi inique, & iniuſtè ex parte Cæſarea motum fuiſſe, & proſequi aſſerendum eſt, vt nimia facilitate, & magna euidentia ex vanitate, & non ſubſiſtentia iurium, quæ pro Sereniſſima domo Auſtriaca fruſtra adducuntur, ſatis clarè, & maniſeſtè demonſtrare confidimus.

Etenim quod ad rem præſentem attinet Reges conſtituuntur, Regnaque acquiruntur, vel electione, vel ſucceſſione, vel iuſti belli (a) iure, aut ſpontanea deditione populorum, & vtique ſi ad noſtra hæc tempora reſpiciamus omiſſa ab vltima antiquitate repetitione, ipſaque Regum origine, quæ non alia quam electio fuiſſe videtur, in Europa Chriſtiana, & Imperator Germanus, ſiue Romanus, & Rex Poloniæ ſola electione creantur, ea ſcilicet, quæ nullum Imperij, Regnique ius hæredibus, & ſucceſſoribus Imperatoris, vel Regis tribuit. Succeſſione vero Regna, & Imperia deferuntur, quæ principio, ſiue electione, ſiue bello, aut deditione, ſiue quocumque alio modo quæſita, ad primi acquirentis poſteros, ſecundum cuiuſque Regni leges, conſuetudines, receptoſque mores deferuntur, vtpote Francorum, Galliæque regiæ familiæ primogenitis agnatis maſculis ex maſculis ordine propinquitatis ſeruato, & nullo modo fœminis: cætera vero Regna, vt Angliæ, Sueciæ, Daniæ, Hungariæ, Bohemiæ, (b) ac totius Monarchiæ Hiſpanæ, de qua agitur, tam ad maſculos, quam ad fœminas lineæ tamen, ac gradus, ſexuſque & ætatis prærogatiua ſeruata transferunrur.

(a) *Grot. de iure bell. & pac. lib. 1. cap. 3 §. 10. & 11. Tholoſ. de reip. lib. 7. cap 12. Pufendorf de iur. nat. & gent. lib. 7. c. 6. §. 16.*

(b) *Tholoſanus de reip. lib. 7. c. 5. n. 2.*

Verum hanc Regnorum ſucceſſionem alij hæreditario iure cenſent arbitrandam, alij autem ex ordine genituræ, & ſanguinis, quia neque, vt hæreditas ex teſtamento defuncti Regis, neque ab inteſtato diuidenda inter plures eiusdem gradus vſque ad decimum; ſed vni eique primogenito, & propinquiori etiam vltra decimum gradum,& in infinitum, & quamuis vltimi Regis non ſit hæres, nec ex hæredatione, diuiſione, aut vlla morientis manente diſpoſitione, nulliſque ab eo impoſitis oneribus obnoxiam deferatur. Atque alij proprio cuiuſque Regni recepto iure,ac conſuetudine.(a) Vtique quomodocumque res inſpiciatur, & qualicumque iure, ac ratione definienda ſumatur, ſemper Sereniſsimi Regis Philippi V. ius clarum, apertum, atque manifeſtum, & indubitatum eſſe conſtabit. Nam ſi Hiſpaniarum dominia, & Regna, eiuſque Imperium, & Monarchiam hæreditario iure transferendam cenſeamus, quemadmodum re vera exiſtimari debet, quippe de Regnis bello, & armis quæſitis communiter ſentiunt liberè, & ad placitum ſaltèm inter propinquos, & eiusdem ſanguinis cognatos poſſe diſponi. (b) Neq; dubitandum videtur,quin omnia Hiſpaniarum Regna mauris expulſis, ac Italiæ, & adiacentium Inſularum alijs deuictis hoſtibus, ac Indiarum pariter amplæ regiones bello, & armis, vel recuperata, vel ſubiugata ſint, habet Rex Sereniſsimus Philippus V. Sereniſsimi Regis Caroli II. vltimo defuncti teſtamentum, quo eiusdem Im-

(a) *Petr. Greg. Tholoſ de reip. lib. 7. cap 12 & poſt multos Robles de repreſent. lib. 3 cap. 16. Gonzal. in cap. licet de voto, & voti redem.*

(b) *Et quod regnum Caſtiliæ ſit hæreditarium, ſcripſit Eman Coſta in quæſt. de patruo, & nepote, Garſ. de expenſ. & melior. cap. 16.*

Imperij, & Monarchiæ cum omnibus eius iuribus, & rebus ritè, & ſolemniter hæres inſtitutus apparet, & propterea in vniuerſum ius defuncti ſine controuerſia ſuccedit.

Atque iſtis in terminis nullum ponit obicem, quam tantopere extollunt renunciatio, etiam iuramento roborata, & etiam ſi ſpecialiter fuiſſet renunciatum ſucceſsioni ex teſtamento, nam quibuſcumque concepta verbis, & iureiurando adhibito, numquam impediet, & obſtabit ex noua cauſa, & ex teſtamẽto poſt renunciationem condito ab eo, qui renunciationem accepit, eiuſq; hæredibus, & ſucceſſoribus, in quorum poteſtate omni iure ſemper fuit, & eſt, ac erit iuribus ex renunciationibus ſibi quæſitis, vti nolle, & renunciantem ex noua voluntate ad ſucceſsionem admittere, & vocare ſecundum vulgatam iuris regulam, quod quolibet fauori ſuo, iuribuſque quocumque modo ſibi quæſitis renunciare poteſt, & in terminis ſcribunt. (a)

Et certè ſapientèr magis & prouidè meliorique conſilio Sereniſsimus Carolus II. ſibi ſucceſſorem declarandum, & inſtituendum cenſuit, quam Martinus II. de quo infra Aragoniæ Rex XV. & Henricus Cardinalis, & Rex Portugalliæ, qui rogantibus etiam & precantibus ſubditis teſtari de Regno, & ſucceſſorem declarare noluerunt, ac non aliter, quam olim Alexander Magnus inter ſuos Duces, hi inter plures ad Regiam Coronam aſpirantes, ſibique ius aſſerentes ſuccedendi, contendendum, turbaſque excitandi reliquerunt

magno

(a) poſt Bart. Bald. & alios plures Tiraqu. in tract. le mort ſaiſit par. 2. declar. 8 num. 1. Vaſq. de ſucceſſ creat. lib. 2. § 18. lim. 1. nu. 138. & ſeqq. Gabriel comm. concl. lib 3 tit. de iur. dot. concluſ. 1 n. 26.

magno cum damno detrimento, & iactura populorum ipſis ſubiectorum. Quod equidem ſecus accidit in ſucceſsione Regis Caroli II. cuius optimum conſilium declarandi,& inſtituendi poſt ipſum futurum Regem, omnes vbique ſubditi, populique tanto amplioris Monarchiæ, vnanimi conſenſu probauerunt, & amplexi ſunt. Atque nihil refert, aut intereſt Cæſaream Maieſtatem, alioſque ſiue Reges non vere Reges, & liberos ſtatus iure non liberos,contra prudentiſsimum Regis Caroli II. teſtamentum, iuſtamque voluntatem, iniuſtum bellum indicendum duxiſſe. Sapientis enim Principis, & Regis eſt, ſuos inter ſubditos paci, & tranquillitati conſulere, ac prouidere, prout reuera conſuluit, dum omnibus, quod vtique mirandum eſt,tot populis, gentibus, & nationibus lingua,moribus, & ſitu orbis differentibus,quot vaſtiſsimæ Hiſpanæ Monarchiæ ſubijciuntur regium teſtamentũ placuiſſe, eoſque concordi animo vltimæ Regiæ voluntati obſequium præbuiſſe, Regemque nouum, quem ipſe ſtatuit, libentiſsimè ſuſcepiſſe, quod equidem niſi Deo fauente,& annuente euenire non potuit, vt propterea ſperandum videatur etiam ipſo Deo volente, iniquorum hoſtium conatus, atrociſque belli motus diſperdẽdos,& diſsipãdos fore.(a)

Si vero iure primogenituræ, ſanguiniſque in eiſdem Regnis ſuccedendum eſſet, indubitanter etiam Catholicus Rex Philippus V. Leopoldum Cæſarem repellit, atque excludit & equidem ex proprio iure, & perſona, nam licet

(a) *vt aduerſus Coſtam, & alios tent Molina, de Hiſpan. primog lib. 5. cap. 6. nu. 9. Robles. de repreſent. lib. 3. cap. 16.*

licet vterque defuncti Regis Caroli æqualiter coniuncti, & proximi ſint quarto ſcilicet gradu;attamen Philippus, quia in meliori linea Leopoldum ſuperat, & vincit, quia Cæſar ipſe vti ex ſorore Philippi IV. natus non in huius, ſed in Philippi III. deſcendenti linea connumerandus eſt, at Philippus V. in Philippi IV. tanquam eius ex filia pronepos, & propterea ex eiusdem linea deſcendens, ſunt itaq; in æquali gradu,hoc eſt Cęſarea Maieſtas Catholici Regis Caroli II. frater amitinus, & Rex Philippus ex eiusdem Caroli ſorore pronepos, & ita tam hic, quam ille in quarto gradu,atque Cæſar Leopoldus ætate maior, quã Rex Philippus V. & nihilominus, ſi ius ſuccedendi attenditur PhilippòLeopoldus vt cedat, oportet,& abſque dubio Rex, quam Imperator meliorem cauſam habet.

Satis enim notum eſt in omnibus, quæ iure primogenituræ deferuntur ſucceſsionibus. Primo loco inſpiciendam eſſe lineam, deinde gradum,tertio ſexum, & demum ætatem. Vt ſcilicet quod ad præſentem ſpeciem attinet, omnibus alijs anteferenda ſit linea deſcendens Philippi IV. in qua erat Carolus II eius filius, & filia Maria Therefia Philippi V.auia, qui cum ſit in linea deſcendenti Philippi IV. eius proaui extra omne dubium præferendus, & ad ſucceſsionem admittendus eſt, poſthabitis, & excluſis tam Leopoldo Imperatore, quam omnibus alijs ex linea Philippi III. deſcendentibus. Quippe primum,& ante omnia attendenda eſt linea deſcendens ex Philippo

IV.

IV. in qua & non in alia inſpiciendus eſt gradus, & in eodem gradu ſi plures ſint, maſclulus excludat fœminam; & ſi plures ſint maſculi, vel his non exiſtentibus plures in eodem gradu ſuperſint fœminæ, maior vincat minorem, ac propterea nulla habenda eſt ratio Imperatoris, licet ætate maioris, & in eodem gradu tanquam exiſtentis in deteriori linea, ad quam retrocedere ſucceſsio nullo iure poteſt, donec, & quouſque linea potior, & ante habenda Philippi IV. exiſtit, & durat namque poteſt accidere ſcribunt *Molina*, (a) & alij, quemadmodum præſenti in ſpecie accidit, quod quis ſit eiuſdem gradus, & maior ætate, vt eſt Imperator, (b) ſed quia non ex linea primogeniti, vt Rex Philippus V. non ille, ſed hic ſuccedat, & vincat. Quippe vt bene prudentes, Doctoreſque declarant, non ſasis eſt, quē eſſe maioris ætatis, & in eodem gradu ſi non eſt eiuſdem lineæ. Quod in ſucceſsione regnorum Hiſpaniæ ſpecialitèr, & expreſsè aduertit, & ſcribit *Molina ex l. 2. tit. 15. partit. 2.* illis præſertim verbis (b) *Puſieron, que el Señorio del Reyno heredaſſen ſiempre aquellos, que viniesſen por linea derecha*, quodque in magna controuerſia ſucceſsionis regnorom, cuius præſens hæc ſolum prouinciarum, & regionum numero maior eſt. Scilicet coronæ Aragoniæ defuncto Rege Martino II. ſine legitimis liberis, qui vt ſupra dictum, de regnis teſtari, & ſucceſſorem declarare noluit. Omni plurium contendentium conatu, aduocatis fere totius Europæ peritis, atque conſultis prudentibuſque

(a) *de Primog. Hiſp. cap. 4. n. 13. lib. 3. idem Molina*

(b) *Grotius de iur. bell. & pac. lib. 2. cap 7. §. 22 Roxas de incōpatib. par. 3. cap. 4. num. 48. & 49.*

(c) *lib. 1. cap. 3. num. 12.*

que, & omnium literarum, & ſcientiarum ſapientibus, quorum alij horum, & alij illorum ius, & iuſtitiam oſtēdere, ac probare volentes, maximo labore, ſtudioque oleum, & operam conſumpſerunt in adeo celebri, ac memorabili quæſtione, vt *Zurita* ſcripſerit (a) *en la declaracion de vn negocio tan nueuo, y el maior, que ſe auia viſto en muchos ſiglos*, & (b) *Pues ſe auia de fundar Tribunal de juicio formado, para la mayor declaracion, que ſe hizo jamas en Eſpaña deſpues del Reyno de los Godos.* Contendentes, et ſibi ius regnandi vindicantes præter alios remotioris gradus, pro quorum vna conſuluit *Petrus Anchbaranus* (c) qui maiori ratione niti videbantur, erant Ludouicus Andegauenſis, Ioannis fratris Regis Martini ex filia nepos, et ita quarto gradu defuncto coniunctus, Comes Vrgelitanus ex patruele Regis natus, qui vti ex continuata ſerie per integra ſex ſæcula maſculorum regiæ Aragoniæ familiæ deſcendens, hac ſe prærogatiua tuebatur, & licet quinto gradu ſe antehabendum tam Andegauenſi, qui in quarto, quam infanti Caſtellæ Ferdinando, cuius mater fuit Eleonora ſoror Martini Regis defuncti; & propterea tertio gradu, dicebat enim Vrgelitanus de his nullam eſſe habendam rationem, vtpote ex fœmina prognatis, & proindè exiſtētibus ex familia regia maſculis agnatis, ipſæ, ac eorum deſcendentes vtcumque maſculi, & propinquiores omnino, & ſemper excludendæ, atque eodem iure, quo Vrgelitanus nitebatur, tunc Dux Gādiæ, qui tamen ſenio cō-

(a) *lib. 11. cap. 66.*

(b) *lib. 11. cap. 37.*

(c) *Conſ. 339.*

fectus non videbatur idoneus,& omnē dubitationē abſtulit,mors eius ante cōtrouerſiæ definitionem.Quartus erat competitor ipſe,quem diximus, Ferdinandus defuncti Regis ex ſorore nepos cæteris omnibus propinquior.

Hæc itaque controuerſia per biennium ab anno ſcilicet 1410. vſque ad annum 1412.poſt multas turbas, cædeſque inter quas, & nimis impia, barbaraque, & ſacrilega Archiepiſcopi Cæſarauguſtæ, quia Vrgelitano non fauebat, tandem à nouem Iudicibus ex tribus regionibus regnorum, ſcilicet Aragoniæ, ac Valentiæ, & principatus Cathaloniæ pari numero electis longo tempore, & ad ſatietatem de earum iuribus partibus auditis in arce Caſpe regni Aragoniæ, vbi delecti Iudices moribus,doctrina,prudentia, & ſapientia illuſtres, & inſignes palàm, & publicè ſpectantibus, & audientibus populis multis, ipſo Vincentio Ferrario ſanctitate celebris, qui vnus ex nouem erat,alta voce proferente ſententia prolata fuit, qua Ferdinandus Caſtellæ infans Rex declarabatur, & quæ omnium plauſu, & cōſenſu nemine,quod mirum eſt,contradicēte accepta, & probata, ac executioni data fuit.

In qua controuerſia, & pro qua lata ſententia, quod ad præſentem hanc ſpeciem pertinet, ſpectanda, & animaduertenda ſunt, quæ idem Rex Martinus II. his,qui precibus, & rationibus pro Comite Vrgellenſi, ac Andagauenſi, & Gandiæ Ducibus eum rogabant, vt ſucceſſorem vnumquemque eorum declararet apud Marianam (a)reſpondit his verbis.

(a) lib. 19. c. 20.

Rex

Rex eleganter inquit, de tribus diſputatum cum ſit, plura adiungi de illis poſſent: ſed eſt quartus cauſa potior, niſi me animus fallit (eum vos infecti partibus videre non potuiſtis) Ferdinandus Caſtellæ Regis patruus Eleonora natus ſorore noſtra germana, in quo Sibyliæ filia eſt potior. Villenæ Marchio Gandiæ Dux, Vrgelitanuſque procul à nobis remoti ſunt, idem de Ludouico Andegauenſi iudicium eſt, ſororis filio fratris nepote propinquior eſt, arctiorique coniunctus gradu, vnus omnibus præferatur oportet, exemplo res aperienda eſt, ſicut interciſa fontis vena, atque alio deriuata, riui priores omnes, quibus antea deducebatur, exareſcunt, neque aqua recurrit in canalem priſtinum, niſi irrigatis, completiſque omnibus poſterioribus, aut riuis, aut areis ita progenies eius, quem ſemel à ſucceſſione contigit remoueri, excludatur neceſſe eſt in perpetuū, neque adeat hæreditatem, niſi ſublata alterius ſucceſſoris progenie. Nam cum res ſint in iure, atque mancipio vltimi poſſeſſoris, non autem ſuperiorum, quorum ius eſt in alios tranſmiſſum, vt quiſque ei maximè coniunctus erit, ita optimo iure nitetur: ſibique ius ſuccedendi vindicabit. Erratis ergo cum priores Reges Petrum Alphonſum, Ioannem conſideratis: indeque quaſi è latere ſucceſſionis iura deducitis, me prætermiſſo, cui nemo Eleonora ſorore propinquior ſanguine eſt. Ipſa omnibus, & ſecundum eam eius proles Ferdinandus, cui in dubia cauſa fauere æquum tamen eſſet, omnium optimo Regum futuro blanditur ſua cuique ſpes, & votis noſtris fauemus: ſed id tamen ſpecimen virtutum dedit, vt iuſti, & moderati

principis in eo indolem eſſe appareat, hæc eſt noſtra ſententia. Hoc iudicium, vtinam tam fœlix, quam Reipublicæ, & vobis omnibus ſalutare, de fœminis diſputare non eſt neceſſe, cum inter mares lis omnis ſit, non vnde ſint geniti, ſed quo gradu nos ipſi attingant, conſiderandum puto.

His Regis verbis, quibus contendentium cauſa præiudicata videbatur, noluit tamen Rex ipſe apertè ſuffragium proferre, ſed cui iure debebatur regnum relinquere profeſſus eſt, verum eius præiudicium Iudices tam magna cura, & diligentia ſelecti, re diligentiſſimè perpenſa, & examinata prolata publicè ſententia probauerunt, qua id quod affirmauimus hoc eſt Regem Philippum V. vtcumq; ex latere fœminæ ſororis Sereniſſimi Caroli II. coniunctum, quia in meliori linea Cæſareę Maieſtati in ſucceſſione Monarchiæ Hiſpanę anteponendum, & pręferendum eſſe, id quod verba Martini Regis mox prolata clariſſimè oſtendunt, & conuincunt. *Sed eſt quartus cauſa potior, niſi me animus fallit Ferdinandus Caſtellæ Regis patruus Eleonora natus ſorore noſtra, in quo Sibylia filia eſt potior. Villenæ Marchio Vrgelitanus procul à nobis remoti ſunt, idem de Ludouico iudicium eſto ſororis filius fratris nepote propinquior, arctiorique coniunctus gradu, vnus omnibus præferatur oportet*, ac infra *ita progenies eius, quem ſemel à ſucceſſione contigit dimoueri, excludatur neceſſe eſt in perpetuum: neque adeat hæreditatem, niſi ſublata alterius ſucceſſoris progenie, nam cum res ſint in iu-*

re

re, atque mancipio vltimi poſſeſſoris, non autem ſuperiorum, quorum ius eſt in alios transfuſum, vt quiſque ei maximè coniunctus erit, ita optimo iure nitetur: & ſibi ius ſuccedendi vindicabit. Erratis ergo ait cum priores Reges Petrum, Alphonſum Ioannem conſideratis, indeque quaſi è latere ſucceſſionem deducitis, me prætermiſſo, cui nemo Eleonora ſorore propinquior ſanguine eſt, ipſa omnibus, & ſecundum eam eius proles Ferdinandus. Fruſtra igitur pro Cæſarea Maieſtate afferuntur ex Philippi III. vel II. aut etiam Caroli V. Imperatoris perſonis iura cum in lineą deſcẽdenti Philippi IV. non ſit, & paritèr incaſſum tot Hiſpaniæ Reges Auſtriacos progenitores adducit, cum re tam ſolemnitèr, vt vidimus iudicata, & Vrgellenſis, & Villenæ Marchio, ſiuè Gandiæ Dux, qui ex eadem familia, & agnatione Regis Aragoniæ Martini erant ex virili Barcinonenſium proſapia, quæ Spondanus (a) ſcribit in ſexcenteſimum annum propagata erat, & ſic longè maiori ſerie aſcendentium, quam Hiſpaniæ Reges Auſtriaci. (a) *anno 1410. nu. 9*

Ipſe autem Rex Martinus dum æquanimis videri voluit, renuitque verum, quem agnoſcebat ſucceſſorem, vt debebat, & vt populi ſubditi ab eo expectabant, declarare, hæſitans, ac timens, ne cui pluſquam fas eſſet, fauere videretur, ſua lentitudine, ac tepore cauſam prębuit diſsẽſionibus, & exitialibus diſcordijs, quæ per bienniũ ſuos lacerauerũt ſubditos. At quanto melius, rectiuſque Sereniſſimus Carolus ſubiectorum inter ſe tranquillitati, & paci pro-

proſpexit,& prouidit inſtituto eo Rege,quem ius,& iuſtitia poſtulabat,& quem populi ſubiecti totius fere Orbis læti, & exultantes concordi animo, & voluntate ſuſceperunt, & acclamauerunt. Quidquid externi, & non ſubditi, alitèr ſentiant, & iniuſtè nimis bellare cęperint, non enim hominum, ſed Dei eſt; cæcutientes oculos illuminare, & corda, animoſque ad iuſtitiam, & veritatem agnoſcendam flectere.

Videndum tertio loco eſt de Hiſpanę Monarchię proprio ſucceſſionis genere, ſcilicet ſecundum quas,ſiuè leges, ſiuè conſuetudines ſpeciales,& proprias in eius regna ſuccedatur vnumquodque enim regnum ſuum habet, vel habere poteſt peculiarem modum, legemque ſucceſſionis quemadmodum habet Gallia,quę ſe motis ſemper fœminis familę regię maſculos ex maſculis agnatos, dumtaxat ſuo ordine admittit,vel quomodo extraEuropam in quibusdam (a) regnis Aphricę,& Aſię, vel fratres defunctiRegis,vel ex ſorore filij hoc eſt nepotes,& nō Regis filij ſuccedunt, Hiſpanię vero regna, quia vel Mauris bello victis,& expulſis, vt Legionis,Caſtellæ,Granatę, Aragoniæ, Nauarrę,Catalauniæ,vel quia ipſa ſe dediderunt, vt Valentiæ, & Maioricę ex his,quę principio diximus hęreditaria cenſenda videtur, prout, & vtriuſque Sicilię, ſiuè ſucceſſionis iure ex Conſtantia, & Ioanna, ſiuè bello quęſita dicere velimus, hęreditaria verò non vt reliquę bonorum, iuriumque hęreditates, ſed vt regnorum ſucceſſiones gentium,& nationum mo-

(a) *Grot. de iure belli,& pacis lib. 2. cap. 7. §. 18. & ibi annotata.*

moribus receptum, vt ſcilicet in Monarchia, de qua agimus tam mares, quam fœminę ſuo, quem diximus loco, et ordine admittantur iure primogeniturę, et ſucceſſiuè Rex vnus in alterius defuncti vicem ingrediatur, non tanquam vnus ab alio regnum capiat, et habeat, ſed tanquam à principio conſtituti, vel quęſiti regni, dum populi, et Reges ordine ſucceſſiuo transferendum voluerunt omnibus in futurum ſucceſſoribus eodem tempore tradiderint, vel ipſos omnes Reges fecerint, ea lege vt de manu in manum tranſiret culpa, aut voluntate poſſeſſorum non diminutū, niſi quatenus Regi decentèr permittendum fideles, ſubditoſque muneribus, doniſque honorare, eiſque largiri, non grauatum, nullaque alienatione, vel impoſita ſeruitute, aut onerę maximè in ſucceſſoris omnimodę, & liberę poteſtatis lęſionem, regnumq; ad ſucceſſorem perueniat, ac ſi ipſe fuiſſet primum conſtitutus, nullique extitiſſent Reges intermedij, ſic enim, et non alitèr intelligendū eſt, commune iuriſperitorū axioma, his verbis à *Valenzuela Velaſques* poſt penès innumeros, quos refert traditum (a) *Pacto enim conuento ob publicam ſalutem iam inde ab initio à tota Republica cum primo Principe inito, gentium iure inducto Dei nomine confirmato poſteris primi illius proditur, ſeù aperitur Regnum, nec ab hoc, aut illo poſſeſſore accipitur, ſed potius iure ſanguinis defertur, vt affirmant*, hocque adeo locum ſibi facit, vt extincta regia familia, ac deficientibus regij ſanguinis coniunctis non vt alius fideicom-

(a) *conſ.* 198. *n.* 2.

miſſo

miſſo, aut maioratu vltimus grauatus poſſet liberè diſponere in quemcumque de bonis fideicommiſſi, vel maioratus, ità diſponere poteſt de regno vltimus regij ſanguinis Rex, et ſibi ſucceſſorem in regno declarare, et inſtituere, ſed ad regnum, et rempublicam, populumque rediret iterum ius, et poteſtas nouū Regem creandi, et inſtituendi. Atque ex hoc ſi alij iuris tituli, quos ſupra indicauimus Sereniſſimo noſtro Regi Philippo V. vel deficerent, vel dubij, et obſcuri eſſent, vt reuera non ſunt, ſed clariſsimi, et apertiſsimi, vtique ſine dubio hic, ſatisſuperque eſſet conſenſus, ſcilicet populorum, qui per tot gentes, et regiones ſubditarum Hiſpanę Monarchię nationes dolentèr ſimul, et lætantèr acceperunt Nūcios diſceſſus è vita optimi Regis Caroli II. et inſtitutionem in Regem Philippi V. illius flentes mortem, et huius gaudentes ad thronum aſcenſionem, quam vno omnium voto, conſenſu, et animi voluntate, magna cum lętitia, et maximè fœſtiuis acclamationibus ſuſceperunt, et celebrarunt, atque ipſo nondum viſo, poſtquam autem viderunt, et omnis generis homines regionum, ad quas acceſſit florentem adoleſcentiam corporis decorem, et cum inſigni maieſtate humanitatem, eximiam benignitatem, piamque religionem cō-iunctam omnibus corporis, et amabilibus animi dotibus mirati ſunt, et verè gratior è pulchro veniens corpore virtus eis viſa eſt, ac mente, et oculis ſuauitèr capti, toto ſe corde, et animo ei dediderunt, obſequiumque, et ſumma-

māque fidelitatem ſpontè obtulerunt. Atque hoc verum regnum eſt, ac firmum, omnibuſque ab hoſtibus tutum, cum ſubditi talem Regem amant, reuerentur, & fidelitèr colunt, ipſiſque imperare cupiunt, & optant. Quid enim vlla vis poterit, & quis amorem, fidemq; ſubditorum à corde, & animo euellet, vt qualiſcumque futura ſit ſors belli, ſemper regnũ Philippi V. in voluntate ipſorum immotum, & ſtabile erit, ac equidem ſemper, & vbiq; Imperia, & regna in vnanimi conſenſu, & voluntate populorum principium habuerũt, ac alitèr ſubſtineri, niſi eodem conſenſu, & voluntate non potuerunt, neque vnquam poterunt.

Cùm ex omni parte vnde deduci valet ius Sereniſſimi Philippi V. obtinendi Monarchiã Hiſpanam pateat, & certiſſimũ, manifeſtumq; ſit, oportet inſpicere, quibus illud medijs Cæſariani obumbrare nitantur, ac vtique maximum ipſis perfugium eſt. Pax, Nuptiæ, renunciatio; hæc enim commiſcent, & maximum pacis bonum ex nuptijs, & matrimonio magni Regis Ludouici XIV. & Sereniſſimæ Hiſpaniarum infantis Philippi IV. Regis filiæ ortum, affinitatem ex nuptijs contractam, & amorem inde inter Reges vinculum, & nexũ ac corroborationem, & ſtabilimentum pacis fuiſſe. Renunciationem verò ne prætextu cuiuſcumque ſucceſſionis pax in poſterum turbari, frangiue poſſet.

Pacem Summi Dei munus eſſe, tranquillitatem publicam, dulcem populorum oblectatio-

tionem,& quietem ducentem, & omnium votis,& precibus exoptandam, atque expectandam nemo negare poteſt. Sed nimis profecto fallitur,qui alio vinculo, & nexu firmam, & perpetuam exiſtimandam putat, quàm quo Priuernas ille in Senatu Romano apud Liuiũ (a) dixit.*Si bonam dederitis,& fidã,& perpetuam: ſi malam haud diuturnam*. Non alitèr enim fœdera, & paces ſtabiles, ac diu perſiſtentes expectari poſſunt, niſi cùm vtrinque æqualitèr commodum, & incommodum ferunt, & non plus vnus, quàm alter emolumentum, ac detrimentum accipiat, nullam antiquorum, & præſentium temporum recordationem habeat oportet.Si quis Regum in aula ſanguinis coniunctionem, & vinculum ad fulciendam, ſubſtinendamque pacem alicuius momenti eſſe putet,niſi potius ad alendam ſuſpicionẽ, & metum inſidiarum,& doli.

(a) lib.8.c 21.

Conciliant enim huiuſmodi connubia, & affinitates,vt in reliquis hominibus etiam inter principes,&Reges fœdera,& amicitias,ſed vt eſt in prouerbio, vſque ad aras, ſcilicèt ad Imperij arcana, & inuiolabile ius Maieſtatis, cùm enim de dominij rebus, regia poteſtate, regnique,ac Subditorum incolumitate agitur omnis cognatio, affinitas, vel quæuis alia neceſſitudo relinquitur,ſolaque ratio,& vis Imperij, ſiue boni,ſiue mali Principes ſint,ſubſtinetur,atque attenditur.

Quo enim minus boni Principes cupiditate de alienis certandi tenentur, eò magis ſui regni iura tueri,& ne publica pax, & tranquillitas

litas turbetur, ciueſque ab omni externa læſione, & iniuria cuſtodire obſtringuntur, ob id enim Reges ab initio conſtituti ſunt; & regendi poteſtas eis tributa. Propterea Romæ primi Conſules paterna pietate neglecta, vt reipublicæ ſaluti conſulerent proprios filios ipſis ſpectantibus mortis ſupplicio puniri iuſſerunt, ſic & Rex Salomon Adoniam fratrem primogenitum ambiti regni ob petitas Abiſag nuptias non grandi, vt videtur, ſuſpicione trucidandum iuſſit, neque aliud fuit Abſalonis Sancti Regis Dauid filij fatum, & noſtra memoria omiſſis pluribus, quæ colligi poſſet Franciæ Regis cognomento iuſti mater, fraterque finibus regni abierunt, ne turbas ferrent.

Malorum autem Principum nuptiæ tantũ abeſt, vt fœdera, pacemque confirment, quod immo ſub earum velamento faciliorem aperiunt viam, occaſionemque præbent, patricidia perpetrandi, regnaque vſurpandi, ſic Saul Michol filiam Dauid nubere voluit, vt illum incautum occideret, & Polomæus Ægypti Rex Alexãdro Regi filiam in matrimoniũ dedit, vt ab affinitate deceptum vita, & regno priuaret, (a) quid Tarquinij, & Tulliæ infelices nuptiæ præuiderunt, niſi patris, ſoceriq; mortem, & regni inuaſionem, vtque filia per trucidati corpus patris carpentum duceret, illiuſq; ſanguine impiè fœdaret? Quid Neronis adoptio, & Octauiæ nuptiæ, niſi vt vitrico veneno perempto, priuignus, & gener imperium conſequeretur, dies vtique nobis deficerent, ſi re-

(a) *Machab. 1. cap. 10. & 11.*

giarum inter cognatos tragica exempla connumerare vellemus, non omittendum tamen Pharaſmanis Regis Hyberiæ ſcelus in Mithradatem, fratrem, & generum, vt Armeniæ illius regnum occuparet, dolo deceptum, & crudeli morte interfectum. Quippe illi inquit Tacitus.
(a) annal. lib. 12. (a) *Cupido regni fratre & filia potior*. Quod & in Cæſaris fœderatis Hollandis, & Anglis maximo cum piorum horrore peſſimoque exemplo, renouatumue orbi toto notũ eſt. Illi enim veram, ſanctamque Romanam Chriſti Dei religionem abiecerunt, vt legitimam, iuſtamque Regum dominationem eijcerent, & hi Regem ſuum innoxium ſcelere antea inaudito carnifici trucidandum dederunt, & in eius legitimũ ſucceſſorem, generum, ſimulque ex ſorore nepotem ad eijciendum è regali Solio Socerum, pariterque Auunculum excitarunt, atque rebellantes iuuerunt.

Et iſti nunc tantorum ſcelerum, totieſque fractæ fidei rei ſuis Regibus rebelles, dum Cęſaris partes ſuas faciunt, pacem, & coniugale fœdus obiectare audent, ac ſi idem eſſet ius, quod ſibi debetur proſequi, & cõſequi, & quod nullæ pacis, & nuptiarũ pactiones, aut abſtulerunt, aut auferre potuerunt, & quod illi fecerunt, & faciunt omnia fundamenta iuſtitiæ tollere, ac omnia naturæ, gentiumque fœdera contemnere, ac tantummodo quodlibet, & placet, ac quo peruerſus furor ducit, ius, & æquum putare. Et quid eſt hoc aliud, niſi ius, & iuſtitiam non in re, ſed in cuiuſque ſceleſti opinione, & voluntate conſtituere?

Ve-

Veruntamen vltra progrediamur, & quæ pro Cæſarea Maieſtate, & Sereniſsima domo Auſtriaca in nuncupato manifeſto deducta,& allegata referuntur,ſingulatim inſpicienda, & refellenda ſumamus.

De

Digitized by Google

De adductis, & allegatis nomine Cæſareæ Maieſtatis, & Sereniſsimæ Domus Auſtriacæ.

HIs Cęſaris nomine ſcriptis proponitur ante omnia ſecundum leges,& vetuſtos Hiſpaniæ mores non poſſe vnquam regna Hiſpaniæ,& Galliæ ſub vnius Regis perſona, & dominio vniri, & ab vno regi, & gubernari. Quod vtique negari poſſet exemplo ſaltem controuerſiæ,contentioniſque diu iure,& non ſine armis diſceptatæ inter Berengariam Sancti Ferdinandi Regis Legionenſis matrem, & Blancam Ludouici Noni paritèr Sancti Regis Galliæ matrem,quæ cum eſſent ſorores Henrici Regis Caſtellæ ſine liberis defuncti in quæſtionem venit cuinam illarum vti primogenitæ ſucceſſio deberetur, & non quod Caſtilia in Regem Galliæ tranſire non poſſet, de qua re ſcribit Zurita (a) *Auunque tuuo gran contradicion la Reyna en eſta ſucceſſion, porque los Condes D. Aluar Nuñez de Lara, y D.Fernando deſpues de la muerte del Rey D. Enrique pretendieron, que deuia ſuceder la Reyna de Francia, que era la mayor de las hijas del Rey D. Alonſo, y no le querian entregar los Caſtillos,que tenian en ſu poder por el Rey D.Enrique*

(a) *lib.2. annal. cap.75.*

rique: y ſobre eſto vuo guerra entre la Reyna, y los Condes, que durò mucho tiempo, y embiaron à requerir à la Reina de Francia, que vinieſſe à tomar la poſſeſſion de ſu Reyno, y por eſtar la coſa del Rey de Francia en gran turbacion, y tener lo de aquel Reyno en auentura de perderſe, quedando el Rey Luis de Francia ſu hijo muy niño dio licencia, que los Condes entregaſſen las fuerças, y les alço el homenage, que auian hecho al Rey D. Enrique ſu hermano: y por eſto, y por no dar lugar, que el Reyno de Francia ſe juntaſſe con el de Caſtilla, y quedaſſe vnido con el de Leon oluidaron la fè, y naturaleza, que deuian à la legitima ſucceſſora: y en eſto eſtuuieron los mas conformes en tanto grado, que muchos affirmauan, que la Reyna D. Berenguela fue la mayor, y recibieron por ſus Señores à la Reyna, y al Infante D. Hernando ſu hijo, porque Caſtilla no ſe ſujetaſſe à Francia, & Mariana (a) *Blancam ætatis prærogatiua* (a) *lib 12. c. 7.* *ſubleuabat, vt fraterni Imperij heres eſſet, legeſque Hiſpaniæ, ſi iura regnandi leguleiorum modo tabulis continerentur, & non potius ſtudijs populi, & principum dexteritate, virtute, feſtinatione, fœlicitate, quod in præſenti accidit. Nam maturatis Comitijs Blanca prætermiſſa populi, & procerũ conſenſu Berengariæ regnum delatum eſt, externum Imperium exhorrebant, & nouorum motuum materiam, ſi Gallia Hiſpanię commiſſa eſſet, ſubtrahendam iudicabant.*

His duobus Hiſpanis, & alios duos Gallos adijciendos ducimus Spondanum, et Brietiũ, quorũ ille ſic ſcribit. (b) *Interim in Caſtella hoc eodem anno celebratæ ſunt Burgis nuptiæ Hernandi* (b) *Spondan. ann. 1269. n. 5.*

nandi, ſiuè Ferdinandi maioris filij Alphonſi Regis, & Blancæ filiæ S. Ludouici Francorum Regis, ingenti ſolemnitate (præhabita à Papa Clemente diſpenſatione ſuper impedimento conſanguinitatis) cui interfuerunt præter Alphonſi fratres, & cognatos, idem Iacobus Rex Aragoniæ ſponſi auus, & Petrus maior ipſius filius, Philippus Sancti Regis filius natu maximus ſponſæ frater, Eduardus Angliæ Princeps, qui Leonoram Alphonſi ſororem duxerat vxorem, Mahomad Albamar Rex Granatæ, Guillelmus Montisferrati Marchio, permultique ex Gallia, Italia, Anglia, Hiſpania proceres, atque Antiſtites. Quod autem Hiſpani ſcribunt ijs nuptijs promiſſum fuiſſe, vt Ludouicus Rex Sanctus ſuo, & filiorum nomine iure decederet, quod in Caſtellæ regnum obtinebat ex parte matris ſuæ Blancæ, minus dicunt, quàm conuentum eſt. Id enim etiam concedunt Franci, ſed ea conditione nuptialibus pactis adiecta (quam etiam Ptolomæus Lucenſis illius temporis auctor hiſtoriæ ſuæ inſeruit, & ex Hiſpanis ingenuè agnoſcit Rodericus Sanctius Epiſcopus Palentinus) vt liberi, qui ex huiuſmodi nuptijs procrearentur, etiamſi Ferdinandus eorum parens ante obitum patris ſui moreretur, ſuccederent in regno Caſtellæ poſt obitum aui Alphonſi excluſis alijs eius filijs Ferdinandi fratribus minoribus, qua poſtea, vt videbitur, violata, etiam hoc capite priſtinum hereditariæ ſucceſſionis ius remanſiſſe denuo noſcitur penès S. Ludouici poſteros. Et Brietius (a) *Obijt & hoc anno Ferdinandus Rex Caſtellæ anno ætatis 52. cum pararet expeditionem in Mauros Sanctus à ſuis habi-*

(a) *Brietij par.* 3. *tom.* 2. *anno* 1252. & *mundi* 1305.

habitus, non item ab alijs, cùm Regi Francorum viro ſanctiſſimo debitum Regnum retinuiſſet.

At præterita narratione, quæ deindè turbarum, & belli ob expulſionem filiorum Ferdinandi nuncupatorum de la Cerda à ſucceſſione Regni, & Sanctij eorum patrui admiſſione ex ſupra expoſitis apparet; Primò, non verè in Cæſaris Manifeſto affirmari legibus, ac vetuſtis moribus Hiſpaniæ vetitam eſſe vnionem Regnorum Galliæ, & Hiſpanię, quippè in magna, de qua mox diximus controuerſia nil tale fuit allegatum, & deductum, vtcumque ab hac vnione tunc populi Caſtellæ abhorruiſſe dicantur, ſed illud effugium prętuliſſe, ſiuè verum, ſiuè non, quòd ſcilicet Berengaria eſſet primogenita, & non Blanca, in quo nihilominus ſcriptores variant, & alij affirmant, alij & fortè veriùs negant. Sed vis & arma pręualuerunt, ac ius, & iuſtitiam ſuperarunt.

Atque hoc idem quòd ſcilicet ſecundum Hiſpaniæ leges, & antiquos mores vetita ſit vnio Regnorum Hiſpaniæ, & Franciæ, verum non eſſe ſatis oſtendit, & manifeſtum reddit Alphonſi IX. Magni Regis aſtrorum, & omnium doctrinarum ſcientia clari, ac etiam Hiſpaniæ legislatoris editis ſeptem partitis, teſtamentum, quo Regnorum hæredes inſtituit nepotes de la Cerda ex filio eius primogenito Ferdinando præmortuo, & illis deficientibus ſubſtituit Regem Franciæ, his verbis: *E ordenamos aun mas, que ſe hijos de Don Ferdinando murieſſen, que deuieſſen heredar, que tome eſte*

nue-

nueſtro Señorio el Rey de Francia, porque viene derechamente de liña derecha, onde nos venimos del Emperador de Eſpaña, y es bisnieto del Rey Don Alonzo de Caſtilla bien como nos. E es nieto de ſu hija.Garzia,(a)quam vtique ſapiens,prudenſque Rex non feciſſet, ſi huius modi leges, moreſque in Hiſpania obtinerent.

(a) *de expenſ. & meliorat.ca. 16.n.26 in fin.*

Deindè tam hoc, quàm & alia exempla. Regum Franciæ, qui è domo Regia Hiſpaniæ vxores acceperunt, quæ refert Thuanus his verbis: (b) *Ad hæc perpenſæ voluntatis Gallorum erga Hiſpanos teſtimonia accedere, & affinitates ſæpius cum ipſis contractæ, nam Ludouicum in Beatorum numerum relatum Blanca Caſtellanenſi prognatum, Philippum item I. & Auguſtum Hiſpaniæ matribus natos, noſtra ætate Franciſcum I. Helionoram Caroli V. ſororem in vxorem duxiſſe. Philippum verò hodiè feliciſſimè in Hiſpania regnantem, Eliſabetham Henrici II. filiam in matrimonium habuiſſe, poſtea Carolum Enrici filium Eliſabetham Auſtriacam Maximiliani, & Philippi ſororis filiam pietate, & vitæ ſanctimonia omnibus Gallis merito cariſſimam fœminam in vxorem duxiſſe, ab eoquè tempore ſumma vtriuſque gentis, mutua officia fuiſſe; donec Rex Catholicus labenti Galliæ Regno vicem eius inſita clementia moderatus auxiliarem, ac ſalutarem ſuppoſuit manum.* Oſtendunt non ex eo, quod ex huiuſmodi nuptijs contingere poſſet, vt per ſucceſsionem in vnum Regem, vtrumque regnum caderet, abſtinuiſſe ab illis contrahendis, & dumtaxat in duobus poſt

(b) *lib.105.*

Thua-

Thuanum.celebratis nuptijs cum Regibus Ludouicis XIII. & XIV. fuerunt exactæ renunciationes,& tamen cum nullo magis, quã cum his duobus fuit diu, & atrociter bellatum, vt conſtet adfinitates, ſanguiniſq; commixtiones ex nuptijs etiam reciprocis, quales fuerunt Ludouici XIII. & Philippi IV. quorum vterque alterius ſororem duxit, non eam vim habere, neque huiuſmodi vinculum nectere, vtcunque alio reſpectu fortiſsimum ſit, vt cùm de iure regnandi, ac imperij maieſtate tuenda tractetur alicuius momenti, & poteſtatis habendum ſit,quemadmodum omnium ſæculorum, omniumquè nationum exempla, & memoriæ tradita ſunt, & paſsim leguntur.

Et quòd nuptiæ tempore pacis, vel inter pacis pactiones compoſitæ ſint, non propterea ſi ex nouis ſuperuenientibus iuribus aliquid petatur, illudquè pręſtari negetur, vnde bello, & armis, id quod ſibi ex noua cauſa debetur, proſequendum videatur, neceſſequè ſit, pax ante conuenta, & habita fracta dicenda videtur, cùm de nouis rebus, nouiſquè iuribus poſt celebratam pacem quæſitis, non fuerit actum, nec agi, & conueniri potuerit; (a) idque maximè locum habet, cùm quis, vt noſter Philippus V. non ipſe arma mouet, ſed contra eum mota repellit, vt iure merito debet, & tenetur, ac proinde, quod de fracta pace obloquitur, non ipſum Regem Catholicum redarguere, ſed Cęſarem, eiuſquè fæderatos, qui primi, & nulla honeſta, & legitima

(a) *Bart. in l. ſtipulatio hoc modo, & ibi Alex. & Iaſ. ff. de verb. oblig. Felin. in cap. ſi diligenti, verſ. decimo fallit de for. compet. & alij apud Mynſiger. obſeru. 7. n. 4. cent. 1.*

cauſa impiè,& iniuſtè bellum, & arma intulerunt,redarguendi ſunt. Atq; quamuis de nuptijs inter pacis pactiones conuentum fuerit, numquam vtcumque de violata,& fracta pace quis conqueri poſſet,nuptias non ſanctè habitas,& mutuo amore inter regios coniuges cuſtoditas, & obſeruatas argui poteſt.

Neque cùm de pace loquitur ſub eius inuolucro de renunciatione, quam tantoperè exaggerant,& amplificant, quidquam ſentiẽdum videtur: quippè nihil ad pacem renunciatio attinet, vtpotè cùm inter capitula, ſeù pactiones pacis, nullum de renunciatione verbũ fiat. In tractatu enim pacis franco Hiſpanę, quam ex Gallico idiomate in latinum ad verbum interpretatum ſcribit Brachelius, (a) ſiuè Thuldenus caput XXXIII. his conceptũ legitur verbis. *Vt pax hæc vnio confœderatio, bonaquè correſpondentia, quemadmòdum in votis, vt ſit tãto magis firma, durabilis, minuſquè diſſolubilis nominati ante duo præcipui Miniſtri Cardinalis Dux, & Marchio Comes Dux vigore ſpecialis poteſtatis hunc in finem ab ambobus dominis Regibus ſibi datæ, horum nomine Regis Chriſtianiſſimi cum Sereniſſima Infante domina Maria Thereſia Regis Catholici filia natu maiore matrimonium pacti ſunt, & ſtabiliuerunt, eo demquè ipſo die, quo præſentes datæ peculiarem, ad quem ob conditiones reciprocas dicti matrimonij, illudquè celebrandi tempus quivis remittitur, tractatum concluſerunt, & ſubſignarunt, tractatus hic peculiaris matrimonijque capitulatio eiuſdem, ac præſens pacis tractatus, cùm ſit pars eius præcipua, & di-*

(a) *hiſt tom.4.*

& digniſſima, ſimul maximum, ac pretioſiſſimum certæ eius durationis pignus roboris, ac vigoris habeantur. Hanc pacem huncq; tractatum inter ſolos Galliæ, ac Hiſpaniæ Reges geſtum fuiſſe omnibus conſtat,& patet, nec rectè dici poteſt ob bellum inde ſecutum inter Cæſarē, eiuſquè fœderatos, & Galliæ Regem, vel non ſeruatam, vel fractam à Gallo, cùm licèt Hiſpanus Monarcha Cæſari in eodem bello adhærere voluerit, ſatis tamen notum eſt, hoc inuito Gallo Rege, ac contra ſuadente, accidiſſe.

Vtcumque verò res accipiatur, indubitantèr verum eſt renunciationem,quam adeo decantant, & inculcant, ad pacis pactiones, & capitula nil pertinere, quippe de ea nulla mentio fit, vel verbum legitur in dicto cap. XXXIII.nec alibi in pacis inſtrumento, quinimmo, nec de illa loqui, & agi poterat, dum duo illi Supremi Miniſtri ſe peculiare, ſiuè ſpeciale mandatum ſuis à Regibus habuiſſe ad inſimul cum pace de matrimonio præfato conueniendo, atque paciſcendo, non autem aſſeruerunt,neque vlla mentio ſit de mandato Sereniſſimæ Infantis Mariæ, ſine quo de rebus, ac iuribus eidem quomodocumque ſpectantibus indubitantèr,& certiſſimè renunciatio nullo modo, nulloquè iure ſubſtineri, & valida cenſeri poteſt.

Et demum nihil eorum,quæ ad non admittendam Galliæ, & Hiſpaniæ regnorum vnionem, ſed ad illam perpetuo euitandam afferuntur ad præſens obſtare aliquo modo valent

lent

lent, ac poſſunt, cùm omnino, prorſuſquè extra eam ſpeciem res verſetur,et ſit; non enim de huiuſmodi vnione agitur, ſed vt noſter Rex Philippus V. fœlicitèr in Hiſpania regnet, eiuſquè ſatis amplam Monarchiam dumtaxat gubernet,ac regat, pariterquè ſuam Rex Galliæ, atque vterque ſuos ad ſucceſſores regna,et dominia traſmittat, et ita vt nunquam ad vnum, et eundem ambo Imperia recidant, ſed ſemper, et perpetuò diuiſa, et ſegregata maneant,atque non ſine timore, (quod Deus auertat) ne ob ſui quiſque regni iura tuenda, in poſterum diſſenſiones inſurgant, et inuicē bella renouentur.

Quod ſimilitèr, vt iterum ad eas tranſeamus,de renunciatione, ſiuè renunciationibus affirmari, ac cenſeri debet hoc eſt, et ipſas extrà præſentem eſſe ſpeciem, vtpotè exactæ, & conuentæ ad illum etiam finem,ne regna,& Monarchiæ cùm duæ ſint, in vnam redigerentur,ac ipſarum vnio vitaretur,cumque ex dictis vnio hæc dari non poſſit, equidem ceſſat renunciationum finis, & omnis illarum effectus ſecundum notas naturæ, & iuris regulas.

Verùm quia enunciatarū renunciationum, quæ habentur inſtrumenta, ſiuè inter pacis pactiones,ſiuè extra,geſta,actaque exiſtimanda ſint, vis tota, & pręcipuum fundamentum iurium Sereniſsimæ domus Auſtriacæ continere in præfato manifeſti compendio maxima cum aſſeueratione profitentur,& iactant, atque omnibus pactis,cautionibus,cautelis,&

am-

amplisſimis clauſulis, quæ humana mente unquam excogitari, & inueniri quocumque modo, & forma potuiſſent roborata,& munita oſtendere, ac probare conantur. Circa hæc propterea paulò latiùs, & pleniùs immorandum, & animaduertendum videtur.

Ac quod primùm quaſi præcipuum iurium Domus Auſtriacæ fundamentum præmittunt ſecundum leges, moreſque Hiſpaniæ Gallos à Regia dominatione perpetuò excluſos ſatis ſupra refutatum eſt; quod autem hoc reſpectu,vt in compendio manifeſti ſubijcitur Philippus III. vt nullam diſputandi cauſam, rationemquè relinqueret nuptiarum Ludouici XIII. & Sereniſſimæ Infantis Annæ Auſtriacæ ipſius filiæ ſolemniter celebratarum anno 1612. tempore inferendam ſtatuerit clauſulam renunciationis poſt dotis promiſſionem in manifeſto relatis verbis. *Que Sa Maieſtè Catholique promet, & demeure obligèe de donner, & donnera a la Sereniſſime Infante Dame Anne en dot, & en faueur de mariage auec le Roi tres Chretien de France, & payera a Sa Maieſtè tres Chretienne ou a celui qui aura pouuoir, & commiſſion d'elle, la ſomme de cinquecent mille ecut d'or de la valeur de ſeize Reales la piece, & ſe en la Ville de Paris un jour auant la celebration dudit Mariage*. Atque ſemotis, & omiſſis ijs, quæ de dote non ſoluta, de minori ætate Sereniſſimę Infantis, de metu ſaltem reuerentiali, de ignoratis iuribus, & non cognitis, ac de pluſquam maxima, & enormiſſima læſione, alijſque pluribus, quæ dum agebatur de Ducatu

catu Brabantiæ fusè huic, & aliæ oppoſita, & latè hincindè diſputata fuerunt, quæ non tangenda etiam pro ea, quàm debemus veneratione, & reuerentia Monarchiæ Hiſpanæ duximus, ſi tantummodo de hac, & alia renunciatione contemplatione nuptiarum Infantis Mariæ Thereſiæ, & Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIV. quatenus ad ſpeciem, & caſum prężentem pertinent, loquamur, & tractemus, hæc de renunciatione Sereniſſimę Annę Gallico idiomate ſtatim poſt iam relata de dotis promiſſione verba in manifeſti compendio afferuntur.

cam mota,& exorta fuit,mortuo Carolo Pulchro Franciæ Rege Philippi Pulchri filio,relictâ vxore vterum plenum habente,Eduardo Angliæ Rege,ex filia Philippi, & Caroli ſororore natus primum ventris tutelam, quæ ſecundum regni conſuetudinem, legemque Salicam ſolis agnatis maribus regiæ familiæ deferenda erat. (a) petebat, & deinde regni Franciæ etiam ſucceſſionem iure materno ſibi aſſerebat, bellumque funeſtiſsimum, vt ſpondanus, (b) ſcribit, aduersùs Philippum Valeſium Caroli Pulchri ſucceſſorem mouit, diuquè geſsit. Et poſtmodum annò 1420. Catharina Regis Caroli VI. filia Henrico V. Angliæ Regi in vxorem data, ſimulquè Franciæ regnum dotale ipſo Carolo VI. patre conſentiente, ac paciſcente, vt Catharinæ ſoboles ipſoDelphinoCaroli VI.filio,& Catharinę fratre excluſo, in Franciæ Regnum ſuccederet, prout magna ex parte ab Anglo occupatum fuit, et nonniſi poſt atrox, longumquè bellum, quo Francia pœnę tota deuaſtata fuit, ac tandem Anglis eiectis virtute puellæ Aurelialenſis Delphinus Carolus VII. nuncupatus victor regnum obtinuit, vt propthereà nonniſi prudenter, & conſultò eiuſmodi renunciationes exigendæ videantur, ſaltem,vt quoad fieri poteſt,occaſiones,ac prętextus excitandi controuerſias, & belli motus tollantur.

(a) *Paul. Emil. de rebus geſtis, Franc. lib 8. in Carolo Pulchro*

(b) *anno 1336. n 5 Brietius.*

Nec minùs inaniter, fruſtraquè compendiator ſubijcit: ***A quoi on doit ajouter que quand cette raiſon ſeroit la ſeule fondamentale, elle n'aſſure pas les Eſpagnols contre le peril de l'vnion***

de deux Couronnes ſout vn Prince Francois. Etenim caſus fingi vnquam valet, quo hęc vnio timenda ſit, quàm ſi vnus ex vtraque domo Borbonia ſolus remaneat ſuperſtes, in quem ius ſuccęſsionis ad vtramque Monarchiam perueniat, & cadat. Etenim talis euentus non minus Gallis, quàm Hiſpanis nocere potens eſſet, quippe ille vnus nil vetat, quin tàm ex familiâ Borboniâ remanſa in Galliâ, quàm ex eadem in Hiſpaniam translatâ ſupereſſe poſsit, & quod ſi ex iam Hiſpaniâ in eadem thronum, & ſedem figere velit, & inde Gallię imperare; tum ſiue hoc, ſiue contrario caſu, nil vetat; aut Gallos, aut Hiſpanos inſtare, & petere, vt eligat, quam velit, & quę non electa alium ſibi Regem eligere, ac conſtituere ex eadem familiâ ſi inueniri poterit, etiam in milleſimo gradu, & vltra, & ſi non inuenietur, aliunde, vt meliùs videbitur proceribus, & populis Monarchię, quę non fuit electa, & hoc ſi iure, & ratione res agatur. Quod ſi dicatur, illum vnum ſuperſtitem vi & armis coget vtrumque regnum, & imperium ſibi obedire, & dominum agnoſcere; erit ex ijs infortunijs, quibus reſiſti non poteſt, & quę metui ſecundum incōſtantiā rerum humanarum poſſunt tam ex Gallis, & Hiſpanis, quàm ex Mauris, & Turcis, ac alijs quibuſcūque barbaris nationibus. Quod autem in pręſenti certum eſt, & ex ipſis renūciationibus, & teſtamentis ſupra relatis euidenter conſtat, non aliud fuiſſe vetitum, & intentum, quàm horum regnorum vnio ne fieret, quod cum

ita

ita conſtitutum, & ſtabilitum videamus, & vnaquęque à ſuo Rege gubernetur, & regatur, non eſt cur dubitandum ſit, quin omni iure, ceſſante excluſionis causâ, vnionis ſcilicet; ceſſet etiam omnis effectus renunciationum, & teſtamentorum diſpoſitionum, quę non aliud, quàm ad pręfatam vnionem vitandam volitę ſunt, & requiſitę.

Itaquè vt omnia colligamus cõſtat, & equidem apertiſſimè, renunciationes, etiamſi concederetur eſſe conſiderandas, vt omnes aliæq; paſſim fiunt de bonis allodialibus, ſiuè burgẽſaticis, vt non ſunt; nullius momenti in præſenti ſpecie habẽdas; tũ quia Sereniſſima Anna nupta Regi Ludouico XIII. renunciauit tantummodò hæreditatem, & ſucceſſionem Regi Philippo III patri, & paritèr Sereniſsima Maria Thereſia dumtaxat Regi Philippo IV. patri ſuo, & nec illa renunciauit fratris Philippi IV. nec iſta fratris Caroli II. Regi, immo vtraquę in duobus ſuprarelatis caſibus viduitatis & nuptiarum extra Galliam ſaluum ſibi voluerunt, ac integrum reſeruarunt ius ſuccedendi eisdem Philippo III. & IV. reſpectiuè. Quapropter videri poteſt volita, ne poſſent inficiari dotem fuiſſe minorem attentâ regij paterni patrimonij qualitate, & quantitate, quam iure eis debitam vindicare potuiſſent, nam ad alium finem vnam, & alteram renunciationem nec proficere potuiſſe, nec profeciſſe conſtat, cùm Philippo III. ſucceſſerit Philippus IV. cuius fratris ſucceſsioni Sereniſsima Anna non renunciauit, ſed tantum Philippi III. patris, & ſimilitèr dumtaxat patris Phi-

lippi

lippi IV.ſucceſsioni, & non Caroli II. fratris Sereniſsima Maria Thereſia renunciauit, & neutra, vt viſum eſt, validè renunciare potuit pro filijs, & deſcendentibus non tamen hæredibus ſuis, vel ſi hæredibus non venientibus, vti tales, ſed proprio iure natura, & ſanguine immutabilitèr eis tributo, & abſque indigentiâ, vel perſonæ, vel gradûs matris,

Teſtamenta vtriuſq; Regis III.& IV. etiam non alium finem, & reſpectum, quem renunciationes habuerunt, ſcilicèt ne duo Imperia, & Coronæ Gallica, & Hiſpanica in vnam coaleſcerent, & ab vno regerentur, qualis intentus, & finis iam Deo fauente habetur, & Franciæ regnum à potentiſsimo, & omni laude maiore Ludouico XIV. fœlicitèr, & glorioſè, ac omni virtute, & prudentiâ mirabilitèr moderatur, & regitur, & poſt longum æuum in eius poſteros transferetur, vt & Hiſpaniæ non minori gloriâ, & virtute Rex Philippus V. regit, & gubernat in eius deſcendentes ſecundum ſubditorum ſpem, & vota perpetuò transmittendum. Et ita ſatisfactum, & impletum pateat, id totum, quod renunciationibus, & teſtamentis quæſitum, & optatum fuit, ac propterea quæcumque pro Sereniſsimo Rege Catholico dicta, & allegata ſunt, pro veritate, & iuſtitia dicta, & allegata manifeſtè, ac clarè videantur.

Sed tametſi omnia, quæ diximus, & quibus bonum, & irrefragabile ius Philippi V. & optima eius cauſa euidentèr demonſtratur, deficerent abſque vlla dubitandi ratione ſatis ſuper

perquè eſſent,vel ſola duo, quinimò vel alterum tantum ex his duobus, aut teſtamentum ſcilicèt Regis Caroli II.quo ipſe inſtitutus eſt ſucceſſor,aut tot populorum linguis,ſitu,moribus differentibus,& per vniuerſum ferè Orbem diuiſis,& diſtantibus,qui non ſine diuino afflatu in mentem,& corda omnium videtur infuſus vnanimis conſenſus agnoſcendi,et acclamandi ipſum Philippum V. in eorum Regem,et dominum.

Etenim quamuis regularitèr Rex , vt ſuperiùs ex legibus, & conſultis deductum eſt,nequeat teſtamento ſucceſſorem deſignare,ſubſtituere,vel quidpiam oneris ſucceſſori imponere,ne videatur extra ſuæ vitæ terminos velle regnare, et proinde nulla eius diſpoſitio valeat,aut maneat; hoc tamen procedit, locumquè habet,cùm ſucceſſor eſt certus, nec de eo dubitatur. Fallit autem, et limitatur, cùm timor,vel ſuſpicio eſt, ne poſt obitum legitimi Regis lis,et controuerſia oriatur,et excitetur inter plures, quorum vnuſquiſque ius ſuccedendi ſibi afferat, et vindicet; tunc enim non tantum poteſt, ſed debet declarare ex ipſis contendentibus legitimum ſucceſſorem, vt prouideat paci, et tranquillitati ſubditorum, nedum negligat, vt neglexerunt Martinus II. Rex Aragoniæ, & Cardinalis Henricus Rex Portugalliæ,diſsidia,& turbæ excitentur,quę in horum regnis inſurrexerunt, & vtriuſque regni ſubditos per quam maxime infeſtarunt. Magis igitur piè , ac prudentiùs ipſe Sereniſsimus Carolus II. ne inter Subditos turbæ

exci-

excitarentur,ſucceſſorem, qui verè, ac legitimè talis erat, declarauit, & inſtituit, atque ipſius conſilium,& diſpoſitionem Deus optimus maximus fælici euentu approbare dignatus eſt.

Neque enim felicior exoptari poterat,quam hilari voluntate, & conſenſu omnis generis ſubiectorum recipi, & amplecti Regem,quem ipſe Sereniſſimus Carolus deſtinauit, & inſtituit, & qui propterea verè admiranda tantarum nationum conſenſione,vt à principio Reges omnes, nouiter electus cenſendus ſit, atque hoc titulo,quo nullus melior corporibus, & cordibus,atque animis,et voluntatibus ſubiectorum clementer, & benignè dominetur,& imperet.



De Inueſtitura Regni Neapolis.

QVod autem attinet ad inueſtituram Regni Neapolis, ſatis multa ſunt, quæ deduximus, vt illa à Sede Apoſtolica, ſũmoque eius Pontifice pro Sereniſſimo Catholico Rege Philippo V. petatur, vtque de hac dicere poſſit, quod Iuriſconſultus ait: (a) *Non eſſe beneficium, ſed iniuriam*, ſi Rex ipſe *non impetrauerit*, quemadmodum in eiſdem terminis inueſtituræ ſcribit *Cuiacius* (b) qui inſuper ait *duplicem eſſe inueſtituram, aliam veteris, & aliam noui beneficij veteris eſt, quę fit à ſucceſſore inueſtientis, vel inueſtiti beneficij, quod prædeceſſor dedit, vel accepit. Noui qua primum formã ſuam, & originẽ beneficium accepit. Illa, quæ fit de veteri beneficio non eſt contractus, ſed beneficij tantum quædã veluti recognitio ſimplex, quæ fit gratuitò conſtitutionibus Neapolitanis, & noſtris*, inquit *Cuiacius* ſcilicet Galliæ *illata certa pecunia, de hac ſcilicet veteri*, idem ſubijcit *dicere poſſis non eſſe beneficium, ſed iniuriam, ſi quis eam non impetrauerit*. Hanc autem inueſtituram, de qua agi-

(a) *in l 1 § plant, D. de aqua quot. et æſt.*

(b) *tradit in terminis, Cuiac. lib. 2. feud tit. 4. de inueſt veter. vel nou. benef. et ibidem Andr. Hern.*

agitur eſſe veteris beneficij à multis retro ſæculis à Summis Pontificibus,Sedeque Apoſtolica,& Regibus Neapolis, & Aragoniæ ſucceſſiuè dati, & ab ipſis accepti etiam illata quadã pecunia, & vt antiquiora tempora prætereamus.Summus Pontifex Iulius II.ſuo diplomate,ſeù vt vocant Bulla (a) poſt amplam enarrationem pactionum, & fœderis Ludouici XII.Franciæ, & Ferdinandi Catholici Aragoniæ Regum,quas auctoritate Pontificia nullas declarat, de integro his verbis inueſtituram fecit.*Dicto Ferdinando Regi pro ſe,ſuiſque, & in regno Aragoniæ hæredibus, & ſucceſſoribus tàm maſculis, quam fœminis ex eo recta linea deſcendentibus natis, & naſcituris cum omnibus iuribus, & pertinẽtijs ſuis,ac cum cenſu annuo, alijſque conditionibus,modis,formis, adiectionibus in feudum perpetuum ſine tamen præiudicio iuris ipſi Ferdinando Regi alias in Regno Siciliæ,& Ieruſalem, & Ducatibus, & Prouincijs prædictis forſan competentis, cui per præſentes non intendimus derogare, concedimus, & elargimur, volentes, & intendentes eundem Ferdinandum Regem de ipſo regno Siciliæ citra pharum per vexillum S. Romanæ Eccleſiæ per nos, ſeù Sedem prædictam,aut aliquem eiusdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalem,vel alium, cui hoc duxerimus committendum,de proximo inueſtiri*. Ac poſteà auctis meritis eiusdem Ferdinandi Regis erga Sedem Apoſtolicam, ipſumque Pontificem,remiſſum ei fuit prædictum annuum vectigal,vt Mariana,& idem Raynaldus ſcribunt. *Eæ leges*,aiũt, *ineunte menſe Iulio impoſitæ à Pontifice, & Car-*

(a) *in Bullario tom. inter Bullas Iulij II. & apud Raynal. anno 1540 num. 26.*

 dina-

dinalium Collegio paulo poſt mitiori cenſura ca-ſtigatæ ſunt omnino ad 7. Id. Auguſti: remiſſo enim annuo vectigali, & quinquaginta aureorum millium, æquum candidum quolibet triennio repræſentari ſatis babuere.

Sed cum Carolus V. à Leone X. vt ijdem ſcribunt, impetraſſet, vt Neapolitanum regnũ cõiugeret Imperio. (a) *Annis conſequentibus à Leone Pontifice Imperatore, vt ij Reges annua ſeptem aureorum millia penderent veniæ pretiũ Carolo Auguſto conceſſæ Imperij Romani nomen cum eo regno iungendi, contra quam leges olim Andagauenſibus, & Aragonijs Regibus Neapolitanis impoſitæ ferrent.* Atque eędem ipſæ leges, quibus regnum Neapolitanum Carolo Cæſari aſſertum erat: necnon vectigal nummarium à Cæſareo, & Ioannæ Reginæ matris Caroli oratore Adrianus Papa recepit, vt eiusdem literæ docent eisdem his verbis ſcribit Raynaldus, literaſque ſic tranſcribit (b) *Adrianus. Cum iam nos in Vrbem contulerimus, idem Ioannes Manuel (nempe orator Ioannæ Reginæ Aragonum, & Caroli filij Imperatoris deſignati) volens omnia, & ſingula ſupradicta dictorum Regum nomine realitèr, & cum effectu adimplere die nona menſis Septembris; Pontificatus noſtri anno primo. In Palatio noſtro Apoſtolico in Aula Conciſtoriali palafredum album decenter ornatum nobis dedit, tradidit, præſentauit, & realitèr conſignauit vna cum ſeptem millibus ducatis auri in auro de camera, ac oblatione aliarum rerum, ad quas prædicti Reges iuxta conuentiones inter ſedem Apoſtolicam, & ipſos initas tenentur, & nos di-*

(a) *Mariana lib.29 c.24. Raynal. eod. ann* 1550. *num.* 28. *et num.* 31.

(b) *anno* 5522. *num.* 17.

dictum palafredum album, vt præfertur decentèr ornatum ſic nobis præſentatum vna cum ſeptem millibus ducatis auri de camera, ac oblatione prædicta, etiamſi vltra tempus conuentum (nempè peruigilium feſti Apoſtolorum Petri, & Pauli) conſignatio, & oblatio huiuſmodi factæ fuiſſent ſpontè, & libentiſſimè acceptauimus, & realitèr recepimus. Quapropter Carolum, & Ioannam Reges prædictos Apoſtolica authobitate quietamus, liberamus, ac penitùs abſoluimus. Deinde idem Imperator Carolus V. Clementis VII. in Pontificatu, renuebat ſoluere cenſum ei pro regno Neapolitano impoſitum, ex quo Catholico Regi Ferdinaudo eius auo fuerat, vt dictum eſt, remiſſus, ſed à Leone X. coniungendi illi Imperij veniam impoſitũs. Etenim in libello apologetico eius Cæſaris nomine edito hæc sũt verba.(a) *In decimo quinto ipſius capitulationis articulo continente prætenſas nouitates tentatas contra eccleſiaſticam libertatem in regno noſtro Neapolitano, cum veſtra Sanctitas ferè totum articulum in verbis diſpoſitiuis deleuiſſet, & cancellaſſet bis dumtaxat verbis. Primo diſpoſitioni dicti articuli additis, & commutatis, quod circa huiuſmodi obſeruentur, quæ inueſtitura regni Neapolitani ipſi Cæſari conceſſa continentur; nos hanc correctionem, & mutationem pro veſtræ Sanctitatis nutu admittimus additis dumtaxat in fine articuli verbis ſequentibus, videlicèt his modis, & formis, quibus per Ferdinandum Regem Catholicum eius anteceſſorem obſeruata fuerunt & iuxta ipſius regni priuilegia, & iura. Quid enim in hoc immutatum, quod reſpuendum videretur*

(a) *Raynaldus anno* 1536 *num.* 42.

retur

retur, ſi anticeſſoris rectos tramites inſequendos putamus, ſi iura, & priuilegia regni noſtri ſeruare ſtudeamus. Diſcordijs tamen poſt annos ſedatis Clemens VII. inquit Raynaldus, Leonis X. exemplum ſecutus permiſit, vt regnum Neapolitanum cum Imperio, dum ſuperſtes foret, coniunctum teneret.(a)

(a) *anno* 1530. n. 46.

Et demum Iulius III. Summus Pontifex ceſſionem Caroli V. Cæſaris occaſione matrimonij Philippi II. eius filij cũ Regina Angliæ Regni Neapolitani, ei factam ratam habuit, et confirmauit his penes acta conciſtorialia die 23. Octobris MDLIV. conſcriptis verbis: *Romæ die XXIII. Octobris MDLIV. fuit conſiſtorium: Sanctiſſimus D. N. admiſit, renunciationem, translationem, & dimiſſionem Regni Siciliæ citrà Pharum à Sereniſſimo D. Carolo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto in fauorem Sereniſsimi Domini Philippi Angliæ Regis Illuſtris, ipſius Caroli Imperatoris nati factam, necnon obedientiam à Nobili Viro Ferdinando Aualos de Aquino Marchione Piſcariæ eiuſdem Philippi Regis. Procuratore nomine dicti Philippi Regis ſanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ, & S. Romanæ Eccleſiæ præſtitam, itemque homagium, & iuramentum fidelitatis, ac Regnum ipſum vſque ad confinia terrarum ipſius Romanæ Eccleſiæ, excepta Ciuitate Beneuentana cum eius territorio, diſtrictu, & pertinentijs, ac eorum incolis, quam Sanctitas Sua ſibi, & eidem Romanæ Eccleſiæ retinuit, prædicto Philippo Regi pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus Aragonum Regibus, tam maſculis, quàm fœminis ex eo recta linea deſcen-*

ſcendentibus in feudum perpetuum pro ſolito annuo cenſu ſeptem millium ducatorum auri d. Camera, & vnius paraphreni albi pro recognitione veri, & directi dominij ipſius Regni in feſto S. Petri perſoluendo, & ſub conditionibus, modis, adiectionibus, promiſſionibus, clauſulis, voluntatibus, & ordinationibus in literis Iulij II. & conceſſione Leonis X. Romanorum Pontificum ſanctitatis ſuæ prædeceſſorum contentis conceſſit, & elargitus eſt, ac Regnum ipſum eidem Philippo Regi modo, & forma prædictis infeudauit, eumque de illo per ipſius Ferdinandi Marchionis, & procuratoris ad oſculum pedis Sanctitatis ſuæ admiſſionẽ inueſtiuit, &c. (a) ac de eadem inueſtitura conceſſa tam ipſum Regem Philippum, quam Carolum V. Imperatorem ipſe Julius III. Pontifex ſpecialibus literis certiores fecit. (b)

Secundum hanc inueſtiturarum, et conceſſionum ſeriem Hiſpaniarum, qui et ſimul Aragoniæ Reges ſunt à Ferdinando Catolico Rege, et deinceps vſque ad obitum Regis Caroli II. regnum Neapolis, vti veri, et certi illius Domini, et Reges tenuerunt, et poſſederunt, et omnia ad quæ ſeruata forma inueſtiturarum tenebantur, adimpleuerunt, et præſtiterunt.

(a) *ex actis conſiſt. ſigna. num. 134 pagin. 145. Raynald. anno 1554 n. 10.*

(b) *ex lib. breu. ſign. n. 2891. ſiue Iulij III. lib. 7. breu. ſign. num. 2891. idem Raynald eod. anno 1554. nu. 11. & 12.*

Habuit et Romana Eccleſia alios olim Reges, qui eorum Regna Diuo Petro, ſummiſque Apoſtolicæ Sedis Romanis Pontificibus commendarunt, et pro eis in ſubiectionis ſignum annua vectigalia, ſiue annuos cenſus eidem Eccleſiæ præſtabant, atque ſoluebant, quemadmodum poſt alios ſcribit Tholoſanus.

nus.(a)Et fuit etiam Populi Romani cõſuetudo, ait Tacitus (b) *vt haberet inſtrumenta ſeruitutis, & Reges*, et idem *Antiochus inſeruientium Regum ditiſſimus*, tales, et olim in Italia Reges ſub aliorum Regum imperijs ex Seruio ad X. Æneid. ſcribit Grotius (c) et pariter Imperator habet, vel habebat regna ex Imperio pendentia, ſcilicet Poloniam, Bohemiam, ac etiam Angliam, vt ſcribit Cuiacius; (d) huiuſmodi autem recognitio ſuperioritatis, vtcumque feudalis de Regno Neapolis nuncupetur, nihil de iure maieſtatis, & regni iuriſdictione Regibus ipſis detrahit, aut minuit in particulari poteſtate quoad ſubditos, quorum reſpectu Rex vtitur regalibns, & iuriſdictione, itaut non videatur recognoſcere ſuperiorem ipſum Pontificem, vt pluribus congeſtis probat Andreas Knichen. (e) Et vt ſcribit Baldus (f) *Singularia feuda, quæ ſunt in regno Siciliæ, ſunt de directo dominio Regis, licet ipſa maior Vniuerſitas, ideſt totum regnum ſit feudale Eccleſiæ; & ita tenuerunt antiqui Doctores regni, & benè.* Neque dubitandum eſt, quod etiam ſi regnum hoc à Summo Pontifice, qui illud poſſediſſet, eiuſque habuiſſet dominium, conceſſum fuiſſet in feudum, omnia quæ ipſe obtinebat iura regalium, & maieſtatis, atque iuriſdictionis, & imperij data, & conceſſa cenſerentur, & non aliud ſibi reſeruatum, niſi tantum illa ſimplex recognitio per petitionem inueſtituræ, & oblationem pecuniæ cenſualis, equi, ſiue palafreni albi, ſecundum poſt alios iuriſperitos deducta per Surdum, & Knichen.

(a) *de republic. lib. 6. cap. 5. ſub n 18 verſ. porrò Rouſſell. hiſt. iuriſd. lib. 7 cap 4*
(b) *hiſt. lib. 2.*
(c) *de iur. bel. et pac lib. 3. ca. 15. §. 9. & in annot. vbi multa ex Cicer. Diod. Strabone, Plin. & alijs.*
(d) *in cap. 1. de lege Corradi § hoc autẽ in fin*
(e) *de iur. territorij cap. 1. à nu. 1335. vſque ad n. 1388.*
(f) *in l 1. C. vnde cognatis.*

chen.

then. (a) Et quod etiam dici poſſet, vt ſunt verba Andreæ de Iſernia. (b) *Quod ſi Dominus non facit inueſtituram petitam, ſed differt per annum, priuatur proprietate feudi.*

Atque cum per duo fere integra ſæcula Reges, & domus Aragoniæ Neapolis regnum modo, quo ſupra, habuerint, tenuerint, & poſſederint, inueſtitura, de qua agimus eſt certiſſimè veteris beneficij, & quę propterea nõ iure ſed iniuria tãtũ retardari poteſt, & dum reuerenter, & obedienter petita, et rogata fuit cum oblatione omnium prębſtandorum, dum differtur, et non fit, pro facta, et data omni iure cenſeri debet.

Præterea liceat (omni præmiſſo honore, ac reuerentia) atteſtari, augeri iniuriam vlterius inueſtituram differendo. Quippè quæ retroſæculis, & deinceps, vt retulimus, ſpecialiter, & expreſsè licet de Regno Neapolitano, non tamen Regibus Neapolis, ſed Aragoniæ Regibus data, & conceſſa legitur illis verbis: (c) *Dicto Ferdinando Regi pro ſe, ſuiſque, & in Regno Aragoniæ hæredibus, & ſucceſſoribus tam maſculis, quam fæminis ex eo recta linea deſcendentibus natis, & naſcituris.* Iulius autem III. (d) & regnum ipſum: *Prędicto Philippo Regi pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus Aragonum Regibus tam maſculis, quàm fœminis ex eo recta linea deſcendentibus in feudum perpetuum.*

Et ipſe Sanctiſſimus Summus Pontifex Clemens XI. Philippum V. Regem Hiſpaniarum & Aragoniæ agnouit, & vti talem honorauit ſuum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum Eminentiſſi-

(a) *in cap. 1. §. ex eadem lege nu. 9. de leg. Corradi. Surd. dec. 1. et Knichen d. cap. 1. d. n. 1335. cum ſeqq.*

(b) *Gul Bene. in cap. Rainutius, verbo condidit 1. n. 43. Bald. in cap. 1. per quos fiat inueſtit.*

(c) *Iul. II.*

(d) *Iul. III.*

tiſſimum Cardinalem Archinto gratulationis cauſa mittendo, primum Reginæ coniugi, & deindè hùc Neapolim Eminentiſſimum Cardinalem Barberino ipſimet Sereniſſimo Regi Philippo V. nomine Suæ Sanctitatis congratulaturus eius felicem aduentum, & ab vtriſque Regina, & Rege benignè legatos admiſit Principes Sancti Boni, & Burgheſium, gratias reuerenter reddentes pro officijs tam beneuolis paternè ipſis impartiris, dicent, ſed non vt Regibus Neapolis, tranſeat, ſit, vt volunt, quod tamen certo conſtat, vti Regibus Hiſpaniarum, & Aragoniæ; & ſi vti talibus, quomodo quoue iure, & ratione illi, qui Rex Aragoniæ agnoſcitur, & eſt, differri, & in longum trahi poteſt inueſtitura beneficij, quod Regibus Aragonię, & eorum deſcendentibus in perpetuum maſculis, & fœminis datum eſt, indubitanter, non aliter, quam iniuria, vt dicitur, omne id, quod contra ius, & iuſtitiam, vel non datur, vt debetur, vel dari differtur.

Eo magis quia Sereniſſimus Philippus V. vt Aragoniæ ita pariter Neapolitani regni certus, et indubitus poſſeſſor eſt, & regni populi, ſubditique non ſolum corpora, ſed et corda, et animos ei ſubiecerunt, et vnanimi voluntate, et conſenſu illum in Dominum, et Regem ſuſceperunt, talemque ſemper, et perpetuo ſuſcipient, et agnoſcent, nec vlla vnquam vis, et metus aliter eos ſentire, et velle cogere valebit.

Et vlterius quemadmodum tanquam Rex

Ara-

Aragoniæ agnoſcitur habere, et tenere eodem iure Valentiam, Cataluniam, Siciliam, Sardiniam, Inſulas Baleares, et reliqua, quæ cum eadem Corona Aragoniæ tranſeunt, et poſſidentur, ſic etiam et Regnũ Neapolitanum ſub eodem Rege agnoſci, et eiuſdem iuris eſſe debet, cum onere præſtationis, quod inueſtitura impoſuit, et quod præſtare, et adimplere oblatum eſt, et offertur.

Et vtique qui alias iure eſſet ſucceſſurus, et habet pro ſe teſtamentum etiam abſque aſſenſu eſſet in poſſeſsionem immittendus, (a) quemadmodum pro Rege Roberto à Carolo II. patre ſuo iſtius Regni Neapolis Rege hærede inſtituto ex allegationibus Bartholomęi de Capua, vt refert Afflictus, (b) & vt habetur ex hiſtoricis coram Papa obtinuit, contra nepotem ex fratre primogenito. Quanto magis D. noſter Philippus V. obtinere debet, qui et iure ſucceſſurus erat, et eſt teſtamento inſtitutus, & poſſeſsione, quam tanto ſubditorum conſenſu habet, non indiget, ſed ſolum veteris beneficij quadam ſimplici recognitione per acceptationem annuæ præſtationis, quam obtulit, & dum per eum non ſtat, non immerito putare poteſt, ſe iure excuſatum haberi.

(a) *ex l. fin. C. de edict. Diui Andr. toll.*

(b) *dec. 119. n. 3*

Maximè cum reſpectu Regni Neapolis, & ſuprà enunciatæ renunciationes, dotationes, & teſtamenta ſpeciali iure, quatenus peruertunt rectæ, & legitimæ ſucceſſionis ordinem, & fœminas primogenitas, & ex eiſdem deſcentes, ſiue mares, ſiue fœminas excludunt, ac poſt natas, ſiuè ſecundogenitas, atque ex eis

K 2 poſte-

poſteros ſine Summi Pontificis aſſenſu admittunt, & vocant; irritæ nullæ, & abſque aliquo robore, & momento ſunt, prout Julius II. iurium pontificalium acerrimus vindex, nullas, & irritas declarauit, atque decreuit pactiones, quibus Ludouicus XII. Rex Franciæ regnum Neapolis, ſiuè eiuſdem medietatem ab Alexandro VI. ei in feudum conceſſum ſine Summi Pontificis aſſenſu alienauit, atque ob id eadem medietate, cum omnibus eius iuribus priuauit his præſertim in ipſius longo diplomate, ſeu Bulla verbis: (a) *Quodq; etiam Maieſtas ſua facere minimè debuiſſet regnum ipſum, cum tota portione ei conceſſa abſque voluntate noſtra, nobiſque inconſultis alienare præſumpſit*, et infrà, *auctoritate Apoſtolica tenore præſentium dictum Ludouicum Regem à regno Neapolis, & Ieruſalem, & Neapolitana, & Caietana Ciuitatibus, Terra laboris, & Prouincia Aprutina, omnique eorum iure penitùs cecidiſſe, illaque propterea ad nos, & Romanam Eccleſiam plenè, & liberè rediiſſe, & deuoluta eſſe decernendum merito duximus, & cenſendum, vt harum ſerie decernimus, & cenſemus*, et ibi latiùs, vbi etiam Regem Catholicum Ferdinandum *ad obſeruationem pactorum, & conuentionum inter eum, & dictum Ludouicum Regem ſuper regno Siciliæ, & Ieruſalem, ac Ciuitatibus, & Terra laboris, ac Prouincia Aprutina huiuſmodi, quę idem Ferdinandus Rex quomodolibet initorum quorumcumque tenorum exiſtant, etſi iuramento roborata non teneri: nullaſque propterea periurij, aut alias pœnas ibi forſan adiectas incurriſſe pronũciamus;*

(a) *Rainaldus anno* 1510. *ex Bullario, & ex Mariana lib.* 29. *cap.* 24.

Quod

Quod ſi merita in Romanam Eccleſiam, eiuſque Catholicam Religionem, quibus auctis Julius II. Summus Pontifex, & Cardinalium Collegium, eundem Regem Catholicum Ferdinandum, (a) remiſſo ei annuo vectigali, & quinquaginta aureorum millibus; equum album quolibet triennio repræſentare ſatis habuere, attendenda eſſent. Sereniſſimus Rex Philippus V. eiuſque regia domus in præſens magis quàm Cæſar ipſe, eiuſque auguſta domus in ſedem, & fidem Romanam meritis valet. Non vtique vt de Imperatoriæ Maieſtatis, Regiſquè Romanorum, eiuſque Sereniſſimi Archiducis fratris, totiuſquè Cæſa[illegible]mus ſumma pietate, iuſtitia, ſanctaque, & vera Religione dubitari queat, hoc enim pluſquam nefas eſſet, ſed liceat vti ſententia, & verbis Summi Pontificis Innocentij III. ad Regem Aragoniæ. (b) *Quidam Conſiliarii tui, quin imo potius deceptores.* Et rursùs ad Andream Ducem fratrem Regis Hungariæ. (c) *Et multa contra ſerenitatem regiam malignorum vſus conſilio commiſiſti.* His iniquis Conſiliarijs, & non Auguſto Cæſari imputandum eſt, quod Orangio ad expellendum ſocerum, atque auunculum pium, & legitimum Regem Iacobum Catholicam Romanam religionem profeſſum è tribus Britaniæ regnis adſtitit, & opem tulit. At Gallia illum exulem, & profugum ſplendidè in eius ſinum ſuſcepit, & omni regio honore, ac dignitate fouit, & coluit, vt & nouum adoleſcentem Regem eius filium non minori beneuolentia, & cultu.

(a) *Mariana lib. 24 c. 25. Raynaldus eod. anno 1510. nu. 28.*

(b) *cap. quanto 18. de iureiurando.*

(c) *cap. licet de voto.*

Digitized by Google

cultu aduerſus infeſtos, & impios hoſtes ſuſtinet, & protegit. Cæſar nouum imperij hæreticum, & Romanæ Eccleſiæ hoſtem Electorem inſtituere ſtudet, & Electorem alium pariter impia hæreſi, & in Sedem Apoſtolicam, & Summum eius Pontificem odio infectum Regem creauit, at Galliarum Rex maximus Ludouicus XIV. ſubditos omnes hæreſi imbutos, & tinctos, recuſantes veram Romanam religionem profiteri qualicumque ſui regni, & imperij detrimento è Gallijs migrare coegit, & alibi peſtem tranferre, nolens agnoſcere ſuos fideles, qui veram, & rectam chriſtianam fidem non agnoſcunt.

Præterea omni iterum præmiſſa reuerentia, & honore, fas, licitũq; ſit, humiliter exponere, ac ante oculos Sanctiſſimi Paſtoris animaduertendum, ducere illum à Chriſto Domino ſpeculatorem eſſe datum, & poſitum ad cuſtodiendum ſuas oues, & ad auertendum ab illis lupos inſidiatores, quales hæretici ſunt, & quales in exercitu Imperatoris, qui Italiam infeſtat, ò quam multi, & quàm auidi prædæ extant, vt propterea timendum ſit, ne ſi ferũeti zelo, & magna animi fortitudine, & vigore, qualem decet prouidum, & vigilantem Paſtorem, omni alia humana conſideratione poſthabita, toto conatu, & calore, ac vi terreſtrium, & ſpiritualium armorum tanti periculi hoſtes ex Italia expellere intendat, & iuſtas Catholici Regis Philippi V. preces exaudiat, ne ſcilicet, quod Deus auertat, hoc tempore impleatur viſio, quam Florimundus

Re-

Remundus narrat, habuiſſe B. Pium V. & ne ſi adhuc in tepiditate perſiſtat, & non debito, ac ſancto calore accendatur, Sanctitas Sua ſentiat, quæ in Apocalipſi (a) Angelo, ſiue Epiſcopo Laodiciæ Eccleſiæ ſcripta ſunt, & perditæ Italiæ ratio ab ea petatur. Quod vtique non expectandum videtur à tantæ virtutis, ſapientiæ, doctrinæ, & prudentiæ Summo Pontifice, qualis eſt, & quibus fulget ipſe Sanctiſſimus Clemens XI.

Et re vera nulla videtur cauſa, aut ratio excogitari poſſe, quare inueſtitura hæc retardari, ſiuè in longum trahi valeat, niſi dicatur, quemadmodum initio cæpimus ius, & equum non veritate, aut aliqua iuſtitiæ regula, ſed ſuam cuique opinionem, ac libitum, & placitum ius, atque legem eſſe, nam ſi ius à iuſtitia, vt Vlpianus ſcribit, appellatur, & ſcriptæ leges ius ipſum, & iuſtitiam docent, & adminiſtrant, ſiue adminiſtrandam iubent, ac leges ipſæ, & ius, & iuſtitia attendendæ ſunt ſatis ſuperque quomodocumque res accipiatur, & vndecumque vertatur ex ſupradictis ius Sereniſſimi Regis Philippi V. ad Monarchiæ Hiſpanæ ſucceſſionem, & ad inueſtituram Regni Neapolis obtinendam clarum, manifeſtum, ac extra omne dubium conſtat, patetque. Quippe ſiuè regnum Aragoniæ cenſendum ſit hæreditarium, vt ſcribit gloſ. Pariſ. (b) ſiue iure ſanguinis deferatur, vel deriuetur, vt poſt alios tradit ipſe Aragonenſis Ramirez; (c) ſemper verum, & indubitatum eſt, & erit ius, atque iuſtitia ſucceſſionis Catholici Regis Philippi V. Qui-

(a) *cap. 3. ſcio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus, nec frigidus, aut calidus incipiam te euomere ex ore meo.*

(b) *in conſuet. tit. le fief §. 13. verſ. por ſon droit n. 9.*

(c) *de lege Regia § 4 n. 4.*

Quinimò etiam ſi daremus; quod tamen prorſus dandum non eſt, ac ſemper fortiter, & conſtanter omnique iure negandum eſt, aliquam dubitandi, vel ambigendi extitiſſe rationem, quis ex regijs competitoribus potentius ius, melioremque cauſam ad eiuſmodi ſucceſſionem haberet, vtique, vel alterum ex duobus, vt ſupradiximus, ſuperabundat, & exuberat, vt meliorem cauſam Rex Philippus V. habere dicatur, & Cæſar ea cadat, eamque amittat. Teſtamentum ſcilicet Sereniſſimi Regis Caroli II. & conſenſus ſubditorum omnium, qui illud libentiſſimè comprobauerunt, Regemque in eo inſtitutum, ipſiſque datum hilariter ſuſceperunt. talemquè agnouerunt, & ſe ipſos illi vti eorum exoptato Regi ſuppoſuerunt.

Hæc autem non fruſtrà, & otioſè repetenda duximus, ſed vt ſpecialiter refelleremus, quæ de Regis teſtamento, & de populorum conſenſu in contrarium fabulantur, & audacter nimis, & vt videtur non ſine ſcelere finguntur. Perinde quaſi teſtamentum fuerit ſubſcriptum, atque ſtipulatum; dum Sereniſſimus Rex teſtator viribus corporis, ac mentis, & animi deſtitutus, aduertere nequibat, quod intentabatur, & fiebat, ſed tantummodo quod ei ab alijs ſuggerebatur annuebat, quod vtique quam nequiter, & longè à veritate afferatur, ipſum teſtamenti inſtrumentũ ſatis apertè oſtendit, & conuincit, quippè cum palàm, & publicè, ac pluribus, magniſque proceribus nobilitate, probitate, ac fide, &

vir-,

virtute conſpicuis rogatum, & à talibus teſtibus ſubſcriptum, quorum, vel vnus ſufficeret ad integram probationem, & fidem cuiuſcũque humani actus, & quorum nemo, ſiue teſtium ſubſcriptorum, ſiue aliorum inibi præſentium, & adſtantium pro eorum probitate, & virtute omiſiſſet, ſi quod in actu vitium interceſſiſſet, illud improbare, ac deteſtari, at quia omnia ritè, & rectè impleta, & adhibita fuerunt, nonniſi approbationem, & laudem omnium, meruerunt. Ac vno verbo ſatis, & ad exuperantiam eſt; quod ſcriptura, ſiuè inſtrumentum teſtamenti appareat omni ſolemnitate roboratum, & ſine vllo patente vitio, vt ſecundum omnes iuris regulas attendendum ſit, & exequendum ſtatim, & nullà adhibita mora. Et vt inſuper hoc demum addamus Sereniſsima domus Auſtriaca incaſſum, & inanitèr quæri, ac dolere videtur, quod tanta, & adeo magna Monarchia in aliam transferatur. Quippe Deo ipſi omnium ordinatore, & Domino ſic diſponere viſum eſt, & placuit, nam paucis ante annis vulgo ferebatur hanc diſpoſitionem, & hoc Sereniſsimi Caroli II. teſtamentũ Sereniſs. Ducis Bauariæ filium hæredem eſſe vocaturũ, qui cum in eadẽ Philippi IV. linea eſſet, ſolum cedere debebat Regi Philippo V. quia hic ſc. Bauarię Princeps ex ſecundogenita Philippi IV. deſcendebat, at Sereniſs. Bauaro Infante mortuo, Philippus ipſe V. ſemotis eius patre, & fratre maiore, eo præmemorato fine, ne duo regna, & Monarchiæ in vnum coaleſcerent, ſolus om-

ni iure legitimus remanet ſucceſſor, atque ſiuè Bauarus viueret, & cum ipſo Philippo cōtenderet, ſemper extra domum Auſtriacam, Monarchia Hiſpana recedebat, & ad aliam domum transferebatur.

Conſenſus autem populorum, vt ab initio in primo Rege cōſtituēdo neceſſarius eſt, vtpotè cum ſine eo nulla electio, & nihil de inſtitutione Regis tractari poſſit, ac illi vni, qui eligeretur populi, vt Regia Lex exigit, poteſtas, & in ipſum populū tribuitur. Ita etiam extincta domo regnatrice, ſi vel nullus appareat legitimus ſucceſſor, vel plures ſint, qui ſibi ius ſuccedendi vindicent, & obſcurum, & incertum ſit, cui ſucceſſio debeatur, tali caſu, & euentu, aut vltimi Regis teſtamento, aut populi arbitrio, & voluntate definienda, & terminandà res eſt. (a) Sic enim ab Alexandro Græcæ Monarchiæ Martino II. Aragoniæ, & Cardinali Henrico Luſitaniæ Regibus, vt diximus Duces, & Proceres expectabant, vt Regem Succeſſorem declararent, & ſic Populus Romanus regna quamplurima teſtamento Regum ſine prole decedentium quæſiuit. Quod ſi Regibus huiuſmodi poteſtas teſtamento ſucceſſorem deſignandi neganda cenſeatur. Saltem eorum voluntas valebit in vim cōmendationis apud populum, vt de teſtamentis Caroli Magni, & Ludouici pij, & aliorum Regum apud Vandalos, & Hungaros exiſtimat Grotius (b) qui & ex Liuio tradit, Regem Macedonum Philippū cum Perſea à regno arcere, et eius loco Regem facere vellet Antigonum fratris ſui filiū obijſ-

(a) *Barclarius contra Monarc. lib. 3. Grot. de iur. bell. & pac. lib 1 cap. 3. § 7. 2. Victor. in relect. de iur. belii nu 7.*

(b) *d. lib. 1. cap. 3. §. 13.*

obijſſe Macedeniæ vrbes, vt Principibus Antigonum commendaret.

Populi itaque conſenſus, atque voluntas, et initio Regem creare, ac ſibi imponere poteſt, et in caſu dubio, et controuerſæ ſucceſsionis deliberare, et definire, quem probandum, et in throno ſtatuendũ cenſeat. Vt propterea ſemper, et vndique magis pateat, omnia, et quæcumque, quæ pro legitimo iure Regis excogitari, ac exigi poſſent in Sereniſsimo Rege Philippo V. conuenire, et concurrere. Habet enim ius ſucceſsionis inteſtatæ, ſi talis dici poteſt ad regnum ſucceſsio, et non potius ius ſanguinis vti in meliori, et potiori linea, ac cedentibus Sereniſsimis Patre, et maiori fratre proximior, habet, et teſtati ex ſolemni, et iuſta voluntate in teſtamento ſcripta, habet etiam, et ipſas renunciationes Reginarum auiæ, et proauiæ, ac paritèr teſtamenta Regum Philippi III. et IV quatenus, et illæ renũciationes, et hæc teſtamenta non aliud intenderunt, et voluerunt, quam euitare, et effugere, ne ſucceſsio regni Galliarum, et Hiſpaniarum caderet in vnam, et eandem regiam perſonam, cui vtique rei, ſtatuendo in Hiſpana Monarchia ipſum Regem Philippum obuiam itur, et habet populorum volũtatem, et conſenſum, qui ſolus reges creare, et tollere potens eſt.

Cumque ita ſe res habeat, non aliter, quam ſummo ſcelere patratum ſit, oportet, ſi tamẽ verum eſt, quod ſcribit auctor libelli Mercurij hiſtorici menſis Iuni anni currẽtis 1702. *On à veu des imprimez afichez en diuers en-*

 droits

droits de cette dernier Ville, Neapolis, de la part de pluſieurs perſonnes diſtinguèes par las quels on proteſte de nullitè de tout acte de poſſeſſion que ſi fere en faueur du Duc de Anjou. Perindè quaſi Sereniſſimus Dux Andegauenſis, & Hiſpaniarum Monarcha, poſteaquam aperto teſtamento Sereniſſimi Regis Catholici Caroli II. quo legitur omni ſolemnitate, ac legitima voluntate ſucceſſor inſtitutus, & declaratus, non fuerit, ſtatim ab omnibus Hiſpaniæ ordinibus, ad quos ſpectare poterat, Magiſtratuum, & Conſiliorum, Magnatum, & Procerum Eccleſiaſticorum, & ciuilium, ac vniuerſi populi agnitus, receptus, & hilari, ac feſtiuo conſenſu, & voluntate acclamatus Rex Dominus, & Monarcha, atque non fuiſſent ad illum Pariſiis hoc eſt, extra terminos dominationis Hiſpanæ in regia domo degentē miſſi legati, petētes, atq; totius Hiſpaniæ mādato rogātes, et vocantes, vt accederet, ad ſuſcipiendū dominationē, & regnorum Monarchiam ipſi, & iure, & omnium voluntate, ac conſenſu debitam, & oblatam. Quos Dux ipſe Sereniſſimus & Rex gratanter, & benignè recepit, ac re deliberata, iter placidè, & pacificè, ac nulla feſtinatione, vt omnes ſciunt, ſed lento, & leui greſſu ſuſcepit, & progreſſus eſt, atque propè fines amborum regnorum proceres, & magnates, atque alij omnis ordinis plurimi obuiam fuerunt, vt exoptatum eis Regem omni lætitia, & reuerenti obſequio receperūt, & per reliquum iter maximo cum honore, & regali cultu ad regiam duxerunt, vbi magno cum

gaudio,

gaudio, & feſtiuitate debitam Regi fidem, & obedientiam profeſsi ſunt, et præſtiterunt. Ac interim dum hæc procredebant fama, & nuntij Regis Caroli II. obitus, et teſtamenti ab eo ordinati ad cætera Monarchiæ regna, et dominia peruenerunt, et ſtatim vbique, ac præſertim Neapoli publico, et ſolemni Equitatu Proregis Supremorum Magiſtratuum, ac Magnatum, et Procerum, omniumque Ciuitatis, et Regni ordinibus Rex omnium plauſu, conſenſu, et voluntate agnitus, receptus, et acclamatus fuit.

Vt propterea dubitari nequeat, quin ſtatim et illicò etiam ſi de nouo eligẽdus fuiſſet, omnis populi, et regni poteſtas ei tributa fuerit, ac etiam in, et ſuper eundem populum, idemque Regnum, ac per conſequens quiſquis ex tunc illum Regem qualis omni iure eſt, non agnoſcere iactat, et huiuſmodi libellos euulgat ſtolidè ſceleſtus, et prece, vel pretio, vel promiſſorũ infami ſpe ſeductus, atq; enormiter ſeditionis, & rebellionis reus ſit omni infami ſupplicio, & ſæua, atq; atroci morte puniẽdus, et lacerandus. Etenim quã miſera eſſet regnantiũ cõditio, ſi poſtquàm legitimè agnitus, et conſtitutus quis Rex eſſet, iterum ad comitia, et ſuffragia reuocaretur, et quæ magna demẽtia eſt id vel paucos, vel multos ſibi tribuere, et aſſerere, cum nunquam defuturi ſint iniqui, et ſceleſti, quibus optimus Rex non placeat, quin immò ideò non placeat, quia optimus.

Ac vt ad inueſtituram reuertamur, concluden-

dendum videtur verbis tam celebris Doctoris, qualis eſt Abbas Panormitanus, qui ſic ſcribit: (a) *Satis eſt, quod Vaſſallus, poſtquam cognoſcit ſe Vaſſallum, adeat Dominum, & polliceatur iuramentum, & petat inueſtituram, & alia offerat, ad quæ tenetur de iure,* vt eſt *tex. in cap. 1. de capit. Corradi collat. 10. & ſi deficit pro Domino (ſiuè per Dominum) perindè eſt, ac ſi omnia, ad quæ tenebatur, feciſſet, quia iuris regula eſt, vt ſi deficit pro illo (ſiuè per illum) cuius intereſt factum fieri perindè eſt, ac ſi factum fuiſſet geſtum, vt in l. iure ciuili, ff. de condit. & demonſtr. & in regula imputari cum concordantijs ibi poſitis de reg. iur. in 6. ſatis eſt enim, quod homo facit quidquid poteſt; & in eo conſiſtit, 22. quæſt. 2. faciat homo, & c. breui de iureiur. & tempus anni præfixum ad iuramentum fiendum currit vaſſallo à tempore ſcientiæ, non antea, vt not. Bal. in d. cap. 1. & hanc partem tenet Bal. poſt Iacob. de Belu. in cap. 2. per quos fiat inueſt. collat. 10. Vbi dicit, quod ſi vaſſallus vult facere fidelitatem, & Dominus recuſat facere inueſtituram, non nocet vaſſallo; & Dominus ſibi tenetur ad intereſſe, vt de nou. forma fidel. ead. collat. vel poteſt ſecundum eum præcisè cogi tradere rem, & inueſtituram facere, vt in cap. 1. ſi de feud. fuer. controu. Vel tertio ſecundum eos priuabitur Dominus proprietate feudi, ſicut vaſſallus priuaretur iure ſuo, ſi recuſet fidelitatem præſtare, vt de nou. form. fidel. §. Dominus intit. qual. dom. feud. priu. cap. vnico ead. collat. & hoc vltimum eſt notandum, & dixi ſupra in 6 q. hæc Abbas.*

(a) *in conſ. 3. ſ. b n. 7. par. 2.*

Nec vlterius progrediendum arbitramur, memo-

memores verborum Aleonoræ Reginæ Angliæ ad Summum Pontificem Celeſtinum III. (a) *Silere decreueram, nè inſolentiæ, & præſumptionis arguerer, ſi fortè aduerſus Principem Sacerdotum verbum aliquod minus cautum abundantia cordis eliceret*; et deſiſtimus ſuggerere, quæ ex eadem, et alijs ipſius epiſtolis, atque ex alijs Canonum, Conciliorum, et Patrum locis colligi poſſent, querelæ, de nimia humanitate, et indulgentia Summi Paſtoris, et Eccleſiæ Principis in redditione iuris iuſta petentibus, et comminandis pœnis ac cenſuris in bellum iniuſtum mouentes, et fædera cum impijs hæreticis ferientes.

(a) *apud Baron. anno* 1193, *nu.* 2. *& ſeqq.*

ERRATA.	CORRIGE
pag.5.verſ.19.quolibet	quilibet
pag.8.verſ.2.&	vt
ead.pag.8.verſ.18.ſalis	ſatis
& ánd.verſ.26.regnorom	regnorum
pag.11.verſ.9.filio	filius
pag.16.verſ.15.nationes	rationum
pag 17.verſ.1.primum que delendum	
ead.p.17.verſ.21.renunciatio	Renuntiatio
pag.20.verſ.10.ve delendum	
gag.25.verſ.4. interponendum poſt belli	inſurrexernnt
pag.35.verſ.vlt.inſeri	inſeriue
pag.36.verſ.31.genitores	genitorum
pag.38.verſ.5.maiorum	maiorumue
ead.pag.38.verſ.7.materarum	materterarum
pag.39.verſ.12.vt aliquid	vt ad aliquid
pag.43.verſ.14.quam	quem
pag.41.verſ.5.Ioanne	Ioannæ
pag.49.verſ.28 Sereniſſime	ſereniſſimæ
pag.53.verſ.18.renunciationis	renunciatione
pag.56 verſ.8.deferuntur	defertur
pag.57.verſ.vlt.exoptam	exoptatam
pag.60.verſ.5.Sororore	ſorore
pag.61.verſ.11.Hiſpania	Hiſpana
pag.62.verſ.poſt aliæ addendum	quæ
ead.62.verſ.20.Regi	Regis
pag 63.verſ.quem	quam
pag.64.verſ.5.diuiſis, & diſtantibus	diuiſorum,& diſtantium
pag.81.verſ.22.ordinatum	ordinatori
pag.83.verſ.32.Iuni	Iunij
pag.84.verſ.30.vt	&
pag 85.verſ.3.procredebunt	procedebant

ANT 1318 Ch

Digitized by Google

Digitized by Google